# ABB. JO. BAPTISTÆ PACICHELLII I.C.

EX

Regali Parthenopæo

*Theologorum* Collegio

# DE TINTINNABULO NOLANO

LUCUBRATIO AUTUMNALIS

*IN QUA*

*D. Paulini*, & cujuslibet

Sacro-profanum

*Aes Campanum* Juridicè, ac Philologicè.

*Indice cum gemino.*

NEAPOLI Anno M. DC. XCIII.

Ex Officina Camilli Cavalli.

*Superiorum permiſſu.*

Sumptibus Michaelis Aloyſii Mutii.

Digitized by Google

Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo

# PRINCIPI
# JO: FRANCISCO
# S.R.E. CARDINALI
# ALBANO.

J. *B. Abb. Pacichellius F.*

TVO, quod antea longè per Orbem aſſonuerat, omnibus numeris eximio, inſcriptum Nomini, in lucem prodire *Nolanum* meum, rude forſan, ac impolitum Opuſculum, patieris *Eminentiſs. Princeps.* Virtutum qua, jure proprio genus præclarum ſupergreſſo, polles Harmonia, non in *Pontificio* tantũ Aere ſita, verum & *Apoſtolicarum Aedium* limine laudabiliter præterlapſo, ubique Terrarum divagatur, ac benè auditur. Sic Procerum mentes ad perennem



Digitized by Google

cultum auges:ita cunctorum animos Tibi devincis,ut quibus excellis, Gratiæ debitum,Fideique Sanctitudo prædicetur.Conſiliorum quoque Maturitas, providendi Solertia,calami Facundia, Dexteritas agendi rhythmicè pernoſcuntur. Hilaris ac ſerena *Em.T.* frons, qua me nuper, lætitia quadam repentè illapſa, in clientelam, & obſequium effuſum excæpit, vel revocavit, ſpiritum efflabit forſan,deſideratiſſimum, ne mea diutius rauceſcant. Vale,ac Votis æquiſſimis, ſeu emeritis incrementis, apud nos Beatiſſimè perenna.

Digitized by Google

# LIBRORVM AVCTORIS
## Editorum Syllabus

### *Iuridici*.

*DE iis qui nullo modo poſſunt in Ius vocari*. Ad LL.priores De in Ius Voc.

*Commentar.ad* Tit.Iur.De Re Militari.

*Vberiores Annot.ad* L.fin.De Diviſ.Rer.& qualit.

*Tractatus Iuridicus de Diſtantiis*. *Ad* L. ult.Fin.Reg.Cum Deciſ.Rot.Rom.

*De Iure Hoſpitalitatis Vniuerſo*. *Ad* Clem. Quia contingit De Relig.Dom.

*Schediaſma Iuridico-philolog. De* Larvis, Capillamentis, *&* Chirothecis.

*De Tintinnabulo Nolano Lucubratio Iuridico phil*.

*Conſultationes Iuridicę Diverſæ*.

*Index*, *ac Notarum meditatio ad* Ius Municipale Parmenſe, &c.

### Hiſtorici, ac Politici

*Apparatus ad Hiſtoriam Regni Peruviæ. Vbi plenè de* D.Roſa Limana.

*Vita della Ven*. Suor Ma:Vittoria Angelini *Tertiaria de'Servi*.

*Vita del* P. F.Gio: Batt. Marini *Generale de' Predicatori*.

Vi-

Digitized by Google

*Vita del* P. Gioſeppe Imparato *Generale, e Propagatore de' Cherici Minori*.

*Epitome Vitarum Sanctorum, quos* Clemens X. *ſacris faſtis addixit*.

*Hiſtoriola profano-ſacra* Montis Soractis, *ubi de* Divo Nonnoſo *Abbate*.

*Elementa Politicæ*.

*Memorie de' Viaggi dell' Autore per l'*Europa Chriſtiana *to. 5*.

*Memorie Novelle per Lettere, in occaſion de' ſuoi Studi, e Miniſteri to. 2*.

Philologici, ac Miſcellanei.

*De* Scientiarum *omnium uſu, & affinitate. Epiſtola*.

*Morale Epiſtolicum Quaternarium*.

Ioſias in Vaticano, *ſive Panegyris ad* Clem. IX.

*Religio, ac Beneficentia in* B. Pontifice Pio V. *Oratio*.

*Orationum Academicarum Vol. I Italicè*.

Chiroliturgia, *ſive de variis Manus Miniſteriis*.

*Diatribe de* Pede, *ſeu de* Oſculo Pontificio. *Ad Proteſtantes Coloniæ*.

*Comica, & Poetica nonnulla*.

Sub prælo.

*Il* Regno di Napoli in Proſpettiva, *con le figure delle Città, e Terre, e Carte Geografiche to. 3*.

*Memorie Novelle p. 3*.

Sub

Sub Calamo.

*Menandri Comicorum Principis Fragmenta Græca reſtituta, & Notis illuſtrata.*

*Remigii Antiſiodorenſis Monachi, celeberrima Interpretatio* M.S. *in* Evangel. D. Matthæi, *cum Prolegomenis, ac Notis.*

*De Officiis Aulæ Pontificiæ.*

*De Fide Humana Commentarius Iuridico-Theologicus.*

*De* Iure *Tertii: Tractatus.*

*Il Veſcovo à* Poſilipo, *ò à* S. Lucia.

*Il* Gioſefo, *ò vero Il Miniſtro Evangelico.*

*Vita del* P. Franceſco Caracciolo *Fondatore de'* Cherici Minori *quamprimum proditura.*

*Aliaque* Iuridica, Hiſtorica, & Eccleſiaſtica.

LV.

# LVCVBRATIONIS
## *De Tintinnabulo*
## CAPITVM INDEX.

Primum. Anctoris Idea. *Tintinnabulorum* ſpecies Ethnicis uſu recæptæ, ad Fideles olim translatæ. pag. 1.
II. *Nolanum*, ſeu majus T*intinnabulum* Iconiſmo expreſſum, jampridem in Eccleſia productum. 38.
III. Multiplex Artificium, ac Vis. 71.
IV. Varius *Tintinnabulorum* numerus. pag. 523.
V. Horis deſignandis *Tintinnabulum* peculiariter adhibitum. 152.
VI. Benedictione ſacra Iure inſignitum. pag. 175.
VII. In Turri Campanaria elatum. 187.
VIII. A ſacro Viro ducendum 214
IX. Diverſo fine, ac modo pulſandum. pag. 232.
X. Silet quandoque Tintinnabulum. 278.

Cenſuræ

Proſtant junctæ in Triplici Opuſculo: De *Larvis, Capillamentis, & Chirothecis.*

Digitized by Google

# ABB. JO: BAPT. PACICHELLII

## De Tintinnabulo Nolano.

### CAPUT I.

*Auctoris Idea. Tintinnabulorum ſpecies Ethnicis uſu receptæ, ad Fideles olim translatæ.*

VOcem ſuſcepti communiorem, inſtitutæ materiæ Titulum dedimus: eamque, ut graves (Principum Imperio) tulerunt curæ, dulciori ſuborta tempeſtate, *Autumnalibus* tantum, Romanis exaravimus *Vigiliis*. Libuit enim arrepto Itinere, ſacros rursùs, profanoſque Auctores percurrere; quaſi racemos poſt aliorum Vindemiam colligere, ſelectaque, nocturna, ac diurna manu verſare, Librorum penſum

 ſum

ſum, nôn numerum facientes. Placuerunt, primum à *Hieronymo Magio*, Viro pereruditò, dura Turcarum ſervitute obſtricto, & crudeliter ſtrangulato, memoria tantum freto, tradita: quæque *P.F. Angelus Roccha* ex Religioſiſſima Heremitarum Familia *Epiſcopus Tagaſtenſis*, Pontificii Sacrarii Præfectus, publicæ Bibliothecæ in Urbe Extructor, ac Mecænas optimus ſcripſit, & *Henricus Arnoldus Stokfletus*, in Academia *Altorſiana* apud *Noricos* Eloquentię Profeſſor, ſed improbus hæreticus Orthodoxè tractavit. Diù, ſed fruſtrà ſperavimus luculentiores de *Campanis* Meditationes, quas nonnullis ab hinc annis ſpoponderant, *Franciſcus Bernardinus Ferrarius*, ac *Ioſephus Vicecomes*, ille *De Sacrarum Concionum Ritu*, hìc *De Veteribus Miſſæ Ritibus*; non dubitantes quin præclari Philologi, ac *Ambroſiani*, ut vocant, *Collegii Doctores*; palmam cęteris eriperent. Quia tamen idem argumentum à pluribus teri haudquaquam improbabat Ingeniorum apex *Auguſtinus*, bonaq; fides agnoſcen-

ſcendum ſemper præſtare à quibus acceptum, id enim non plagium, ſed *paterna hæreditas appellanda*, quemadmodum in *ad Cantic. præfat.* eximius *Theodoret.* Nos minimi, qualiacumque ſint hæc, nova concepta methodo, ac modulatione ferè addita, non ad aures Lectorum emulcendas, ad erudiendam Phantaſiam liberaliter evulgamus. Faxit Deus, quod de ſe ipſo *Georg. 2. Virgil.* indubiè ſibi pollicebatur:

*—— verbis ea vincere magnum.*
*Quam ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem.*

*Tintinnabulum*, idē quod *Campana* ex *Apuleii Metam.* ubi eruditiſs. *Priceus*: & *Rhodigin.* 19. 11. quæ à *F. Ambroſio Calepino* in ſuo fœliciſſimo Vocabulario, aliorum rivulis fœcunditer excreto, pluribus tamen vitioſis ſcatente, ut *Voſſ. de Serm. Lat. Vitiis, cap. 8. & Io: Schefferus de Stylo, illiuſque Exercit. cap. 6. fol. 64.* docēt, ad quindecim, & ultra forſan voluminum molem, *Gallia* nunc vividè auſpiciis Regiis adlaborante, fauſtiori quidem cumulo purgatius au-

gendo, *Inſtrumentum*, deſcribitur frigidè, *omnibus notum*, ad *pulſandum idoneum*. Explicat de grandiori *Tintinnabulo*, quo populus ad Eccleſiam vocari conſueverat *Iodoc. Lorichius*, Friburgenſis Academiæ Profeſſor in *Theſ. Theol. to.* 1. *p.* 465. quod *habeat introrſum penſilem, & mobilem malleum, quem Græci Rophalum dicunt*; addit *Laur. Beyerlinch. in Theat. Vitæ hum.* ingentis æſtimationis opere, ſi Auctor in aliorum textibus fidelior foret. Simili modo *Campana*, eſt *Tintinnabulum æneum, quo Latini Occidentales utuntur ad populum in Eccleſia convocandum*, juxtà *D. Carol. Du-Freſne* in *Gloſſar. tom.* 1. hoc verbo *pag.* 708. ubi, poſt *Meurſii* quoque *Gloſſar.* ad materiam non pauca. Utrique tamen rem ex effectu in Eccleſiam introductam, quæ meliùs ſe ipſam in illo *Symphoſii* Aenigmate prodit:

*Aere rigens curvo, patulum componor in orbem,*
*Nobilis eſt intus Linguæ crepitantis imago.*

Et hæc *Lingua*, ſeu *Campanæ* malleum,

Digitized by Google

leum, *Tintinnabuli* nomine appellata, in jure legitur Pontificio, *lib.* ſcilicet *Decretal.* 5. *tit.* 12. *cap.* 23. *incip. Ità Sacerdos*, ibi: *Cum pulſaſſet Campanas*, &c. *cadens Tintinnabulum, percuſſit quemdam puerum*. Ex quo *Tintinnabulati* dicti, ad collum ferentes illud. *Sidonii* locus *ep.* 2. *lib.* 2. *Inter Greges Tintinnabulatos per depaſta buceta roboantes*. Abſolutè à verbo *Tinnio*, hoc eſt *ſono*, *Tintinnàbulum* erutum *Plauti*, ac *Fædri*, textus docent, hic *lib.* 2. ille *Pſeud.* 1. 3. In *Feſto* autem *Tinnire Ant. Auguſt.* purgatior lectio habet *Tintinnare*. *Matth. Martinius in Lexico Philolog. tom.* 2.

Etiam *Statera* unius lancis per *Iſid. Orig.* 16. 24. dicta *Campana*. Quæ ab indigeni ſermonis Præceptoribus in nuperrimo *Cruſchæ Lexico* 2. 268. ſic deſcribitur: *Strumento di metallo fatto à guiſa di vaſo, il quale con un battaglio di ferro ſoſpeſovi entro, ſi ſuona à diverſi effetti*. Cujus eadem materna voce ſynonima, *Vaſo di piombo per uſo di diſtillare*: e *Vaſo di criſtallo per difender dall'aria, ò polve-*



Digitized by Google

*veri le gentili fatture*. Hinc de opere, nulla mora interpoſita abſoluto, dicitur *Campana fatta di un pezzo*, *à ben colata*. De facundo ſermone *Diſcorſo à guiſa di un Campanello d'Argento*: quod fœcũdo Intellectui, fœlicique Memoriæ ſemper invidemus, & æmulari eſſet in votis.

A *Campana* quaſi verbo patronimico educta *Campanella*, e *Campanelle*; crepitacula ſcilicet, Accipitrum, Falconumque cruribus appenſa, atque à ſono *Sonacula* vulgò appellata. De quorum forma, ratione, ac utilitate *Federic. de Accipitrib.* videndus *lib. 2. 41.* Monetque *Octav. Ferrarius Orig. Ling. Italicæ, fol. 83*.

Ex *Tuba*, à *Tyrrhenis*, *Ariſtophano* teſte reperta, de qua *P. Bulenger.* in *de Circo Rom. cap. 17.* & poſt *Ioſeph. 3. Antiq. 11.* qui *Campanulæ* ſimilem in extremitate dixit, *Caſp. Bartholin. de Tibiis Veter. 3. 7. Hebræis* Oraculo Divino recepta, *Tintinnabuli* forma, ex latiori utriuſque parte, unde flatus, vel ſpiritus exit; plurimi autumant. Suadetque nomen, eandem latitudinem Græca radice ſigni-

ſignficans, *Suida*, & *Varrone* au-ctoribus. De *Hebræis* in *Turri* à Sacerdote, *argenteis Tubis* vocatis, poſt ſacr. textum *Num.* 20. 1. *& ſeqq.* ſcribit præfatus *Ioſephus*, *Iudaici Belli* 5. 9. Et in tecto, quod *Salomonis* Templum adumbrabat, *Tintinnabula* numero quadraginta ex *Euſeb. Præpar.* 9. 4. Nec minora, argenteaque in *Sacerdotali*, apud eoſdem *Tunica*, *Exod.* 39. ubi *Origenes*: quorum explicat myſteria *Hugo Cardin. pſal.* 62. *Per Tintinnabula, verba: per Malogranata, opera deſignantur*. Fuſius vero *D. Proſper de Promiſſ.* 2, 3. *In quinquaginta* (ſic inquit) *Tintinnabulis, totidemque Malisgranatis Linguæ ſunt Eccleſiarum, quæ per Spiritum Sanctum die Pentecoſtes in ſpecie Ignis diviſæ Diſcipulis inſederunt. Ut enim numerus ipſe oſtendit, ex quo Malagranata omnis Eccleſia per Mundum connexos, ut grana, intrinſecus cōtinet populos in vinculo pacis, & gratiæ, ut unum eos tegmen operiat Charitatis.* Proſequitur *Io: Chokier in Face Hiſtor. centur.* 2. *cap.* 72. *pag.* 317. in exponendo ritu, ac myſterio. De quo,



Digitized by Google

forſan brevi, typo *Venuſino* ejus Urbis *Epiſcopus* perquam zeloſus, Inſigniſque Poliglottus, *D. Io: Franc. de Laurentiis* in ſuo *Sacræ Geographiæ Studio*, ubi obſcuriora ſacrorum Bibliorum loca tribus voluminibus exhibebit illuſtrata.

Verum eundem ritum pluribi Eccleſia noſtra fuit imitata; Diſcimus enim ex *Miſſa Veteri* in Codice *Ratoldi* Abbatis *Corbejenſis* verba faciendis de Epiſcopo: *Super hæc itaque miniſtretur ei Tunica gyris in Tintinnabulis mirificè referta*: Et in *Anglic. Monaſtico to. 3. fol. 317. Stola, & Manipulus cum Imaginibus, & in extremitatibus cum Campanulis argenteis*. Alia apud *Carol. Du-Freſne* in laudato *Gloſſar. vol. 3. pag. 1130. & 1218.* Pluvialia hujuſmodi, *Poſſonii* vidimus in inferiori Hungaria, *Strigonio* translata; & *Barii* apud *Appulos* in *D. Nicolai* Sacello, ac Theſauro, cum *argenteis Campanulis*. Caput quoque *Divi Apollinaris* Archiepiſcopi, & Martyris *Ravennatenſis*, in pulvinari, appenſis *argenteis Tintinnabulis* venerabamur prope

Ubios

Digitized by Google

*Ubios* in leni Monte, Sacroque *Monachorum Brunsfeldenſium* Cœnobio Servo Dei dicato, ubi confluunt, & gaudent Energumeni. Quæ veſtiendi forma ab Ethnicis penitùs non aliena; Procerum enim hoc modo *lib.* 10. *Apulejus* efformavit *Pictilibus Baltheis*, & *Tintinnabulis perangustis exornatum*.

In Fragmento lateritio in Urbe effoſſo propè *Thermas Diocletiani*, à Bacchanti muliere Tympanum cõſpicitur cum expreſſa Tigris imagine, & minimis in Orbe *Tintinnabulis*, vel potiùs Sonaculis, quæ vulgò *Sonagli* diceremus, excuſſum ad aurium concentum. Inſtrumentum æneum ſimile armonicum parvum, cum *Tintinnabulis* minimis, ſeptem numero in periferia, ad formã prorsùs *Campanularum* jucundè præ manibus habuimus in Muſæo *V. Cl. Io: Petri Bellorii*, Romanis Vetuſtatibus, Pontificio diplomate, Præfecti, cui antiquiſſima viſa ſunt, ac forſan primis Cæſaribus Auguſtis coæva. Utriuſque Icon proſtat in Libro nuper anno 1692. ibidem edito, ſicque



Digitized by Google

inſcripto : *Lucerne antiche, intagliate da Pietro Santi Bartoli, con le Annotationi di Gio:Pietro Bellori,fol.23.* In qua Bacchantis quoque Viri dextra, & humera Utrem adferũt muſto plenam, ſinixtra verò, ex annulo ferreo, ad formam ferulæ agitandæ, ſimilia ſonacula, Græcis *Codones*, ut infra.

Nec rara ſunt vetuſta, cum hilari eo ſigno, æneaque ad nonnullorum Quadrupedum colla monumenta, velut illud, quod in Lucubrationis calce *Tab.1.ac nu.1.* exhibere è Muſæo *Illuſtriſs.Ciampini* volumus, cum interiori anulo,ſed abſque Lingua: ex eoque aliud ferreum, ac leviſſimum, ſignatum *ibid. nu.2.* quod potiùs quoque Sonaculum.

*Græcis* præterea primum, *Romanis* deindè *Campanæ Echeæ*, ſeu illarum inſtar ænea vaſa effigiata, ad vocem non modo in *Theatris* augendam, verum ad concentum harmonicum adhibita, *Pollione* id docente 5. 5. iis præſertim verbis: *In hac Ratiocinatione vox ab ſcena, uti à centro profuſa ſe circumagẽs, tactuque*

*ſe-*

Digitized by Google

*feriens ſingulorum vaſorum cava, excitaverit auctam claritatem, & concentu convenientē ſibi conſonantiā.* Interpretationibus verò, *Philādri, Barbari, Cæſariani*, & *Iocundi*, addūt nōnulla, *Cavalerius* Italicè de *Speculo Uſtorio*: *Maibomius* in *præfat. ad ſeptem Auctores Muſicæ Antiquæ*, aliique. At melius cunctis *P. Schottus* cum Iconiſmis *p. 2. Magiæ Univ. cap. 3. à fol.* 360. ubi an iis vaſis mallei adjuncti.

Indubius itaque, ac vetuſtiſſimus *Tintinnabulorum* uſus, adfirmantibus Viris doctiſſimis, & in priſca Eruditione plurimum verſatis, *Card. Baron. ad ann. Chriſti* 58. *n.* 104. *Iſ. Caſaub. in Sveton. cap.* 91. *Rhodigin.* 19. 11. *Polid. Virg.* 3. 18. *Haeſten.* 7. *Diſquiſ. Monaſt. tract.* 3. *diſp.* 3. §. 3. *Beyerlinch. in Theat. Vit. Hum. lit. T. pag.* 144. aliiſque non paucis. Quorum nonnulli adſcripſere illud *Aegyptiis*, in hemiſphęrium quoddam Æs, in *Oſiridis* feſtivitate conformatum, pulſantibus, atque cum Siſtris, & Crepitaculis una perſtrepentibus. Ità Philoſophus, ac Linguarum exi-

mius Interpres *P. Athanaſ. Kircherius* in *Oedipo*: & quoad vetuſtatem videndus ipſe, in *De Muſicis Inſtrumentis*, & *Schilte Haggiborim*, ex Hebræo in Latinum. Et ſi Inventor hucuſque lateat, quemadmodum *Etymon*; puerile videtur enim ſonus ipſe vocis *Tin*, *Tin* apud *Martinium* in *Lexico Philolog.* cum potiùs ex *æris tinnitu*, ſi tamen primum ænea, quod quoque incertum eſt.

Verum *Tintinnabuli* majoris, ac minoris uſitatius vocabulum, quemadmodum *Campanæ*, & *Campanulæ*. Nobis prior vox arridet, cum qua in Lucubratione hâc, Deo favente, procedemus. Nil timentes, ſi obiiceretur in epitheto viſa repetitio, eo modo, quo *De Regularibus Canonicis* mordax nimium, Apoſtata *Deſid. Eraſmus*, in ampulloſis *Colloquiis*, ac mendacibus. Quia, vox ſubſtantiva pro genere ſumpta, adjectiva verò pro ſpecie; cum *Nolæ* in Urbe, ut videbimus, ad Chriſtiana Sacra nobilius evectum. Sex ejus ſpecies *Durand.* tradit in *Ration. Divin. Offic.* 1.4.11. ex eoque, ac Inter-

pre-

pretum Sacri Iuris caterva, *Proſper Fagnan. in cap. cuſtos Eccleſiæ, nu. 7. de Offic. Cuſtod.*

Quorum alter poſt primum, ac unus poſt alium, *Squillam* recitat pro voce *Triclinii*; *Symbolum* Peryſtilii, vel Clauſtri, *Nolam* Chori; *Nolulam*, ſeu *Duplam* Horarii: *Campanam* pro Campanili, *Signumque* pro Turri. Quæ nobis fas non eſt poſt tantos viros explicare, aut refellere. In Allegorica ſignificatione ſeſe profundit in eo *cap. Speculator.*

Plures autem à *P. Roccha* in ſuo *Comment. de Campanis, cap.* 2. qui *Magium* ſequitur, & à *Stokfleto* in *Exercit. Academ. de Campanar. uſu* poſt *init.* ad illas ſex facilè reſtringendæ; quia *Petaſus* à Petaſi, hoc eſt Galeni forma, ac ſimilitudine, idem ac *majus Tintinnabulum*. *Codon* vox Græca inſtrumenti, ſonum, & quaſi cantum ad motum edentis, quod *Sonallios* appellaremus. *Lebes* ex æneo vaſe igni ad ebulliendum appoſito, ſic uſurpabatur, quod in tẽplo *Iovis Dodonæi*, ubi reſponſa. *Aes*, ac *Aeramentum*, ſynonima nil novi demon-

ſtran-

ſtrantia; quemadmodum *Nola*, & *Campana*. Vox nimium generica *Signum*; & minus antiqua *Cloca*, & *Squilla*, prima Gallis familiaris, altera *Petrarcæ*, *Aldigerio*, atque *Areoſto*. De quibus denominationibus agunt etiam *Steph. Balutius in Notis ad Capitular. Reg. Francor. vol. 1. pag. 1039. Mornacc. ad l. 1. ff. de Rer. diviſ. pag. 41. Narbona in Horograph. jur. in Antelog. num. 142. Rovit. in Pragmat. Regni Neap. 1. de Perſeq. Maleſact. pag. 626. Baron. de Citat. tom. 2. in add. ad q. 10. ſub num. 6. Zanch. de Privil. Eccleſ. privil. 40. num. 8. Fermoſin. de Offic. & ſacr. Eccleſ. tom. 2. fol. 546. nu. 1. & ſeqq. & alii*. Quodlibet ex prædictis ſpecificum, generali voce *Tintinnabulum* nuncupandum, *Fagnan.* poſt multos ſcitè ſubjungit.

Res profectò eadem, etiamſi nomen diverſum apud Priſcas Gentes varias. De *Proſerpinæ* Sacerdote *Hierophante* (quaſi Dignitatis titulus) *Tintinnabulum* pulſare Athenis conſueto *Apollodorus* lib. de *Diis* inſcripto meminit. Eodem uti ſolitus *Syriæ* Sacerdos ex *Luciano*. Hinc Sacer-

cerdotis illà, cum Pera, & *Tintinnabulo*, inter Veterum Statuas (quarum exemplar in *Hortis* nunc hærere *Barberinis* audivimus) *Romæ*, ex *Magia cap. 7.* & *Stokfleto* adhuc 7. in quo, velut impius *Lutheranæ* Sectæ blaſphemus, noſtros Religioſos perſtringit. In *Foro Piſcatorio*, Helluones, Obſonatoreſque ex *Græcis*, eundem pulſum cæleriter audiebant ſub cænam. Ità *Plutarch.* 4. *Sympoſ.* ex eoque *Mercurial. var. Lect.* 1. 25. docetque de *Iaſſiis* Geographus *lib.* 14. Citharædo artem oſtentanti, multos aurem præbuiſſe, præter ſurdos, dum quemdam, qui *Tintinnabulo* inaudito, cæteriſque ad comedendum diffluxis, in foro cupediario valere dixiſſe illi, abiiſſeque curriculo. In *Funeribus* quoque *Campanas* pulſatas *Theocriti* Scholiaſtes pervetuſtus oſtendit, *Laconeſque* Rege è vita exceſſo, *Lebetes*, illarum vice conſueviſſe complodere: quia credebant eo modo, Spectra, & Dœmonum Ludibria evertere, ut addit incomparabilis vir *Adrian. Iun. Animadverſ.* 6. 11. *fol.* 141. qui, ex *Sophocle* Tragico

*Tro-*

*Trojanis* clypeum *Nolis* quibuſdam pulſatilibus ſonorum tribuit, *fol.* 144. Vigiles excubiæ, Græcis *Conodophori*, ſeu *Tintinnabuli* geſtatores, quos hodiè *Soldati di Ronda* appellaremus, teſte in *Avibus Ariſtophane*: qui forſan ex *Magio*, & meliùs ex *Budæo Funebri pompæ* addicti, ut Flaminem Dialem admonerent. At conſulendus in hoc *Io*: Kirchmannus de *Roman. Funer.* etiamſi materiam jejunè aliquatenus tractaſſe videatur. Et legitur de *Antileone*, qui, juxta *Parthenium*, in gratiam Amaſii *Hipparini* clàm aſportavit *Nolam*, quæ in Arce munitiſſima *Heracleæ*, Italici præſidii erat indicium, hoſte priùs per inſidias occiſo. De *Excubiis*, ſeu Vigiliis etiam *Suidas*, poſteà ex modernis *I.C. Beſoldus*, ac *Speidel. var.obſerv. fol.* 507. Vide *Pauſan.lib. ult.*

Obſcœnam ſuſtulit conſuetudinē *Theodoſius* Imperator Caſtitatis amantiſſimus, qua ſibi aptabant illud, Libidinoſi, concubitus impuri tempore, ut vir mulierem fœdè cognoſceret. Narrante *Nicephoro* 12. 22. circa fin.

Rur-

Digitized by Google

Rurſùs *Perſas* in unum locum cætus coegiſſe *Tintinnabuli* ſonitu ante lucem, *Strabo lib.* 15. prodidit. *Samaneoſque* aſtros cælibes Philoſophos, poſt *Brachmanas in Indiis*, ad eum pulſum cænacula ingreſſos oraſſe, iterumque ad pulſum cibum cæpiſſe, *Porphyrius*.

Apud *Romanos*, ante annos quingentos ultra bis mille *Tintinnabula* uſitata computat *Iul. Barbaran.* in ſuo *Promptuar. Rer. Quāplur. Annot. tit.* 24. *fol.* 330. ex aperto illo *Plinii* textu 36. 13. in fin. ubi de Laberinthis: *In ſummo*, inquit, *orbis æneus eſt Pegaſus, ex quo pendent exceptæ catenis Tintinnabula, quæ vento agitata, longè ſonitum referant, ut Dodonæ olim factum*. Quod clarum putat *Iacob. Dalecampius, fol.* 461. Et pro Inſtrumento eodem *Nolæ* nomen, tribus ante *D. Paulini* ævum ſæculis recognovere *Magius*, & *P. Roccha*. Subſcribere *Plinio* videtur *Val. Max.* cap. *Quæcumque Mag. in fin.* iis verbis: *De Amphiarao in oraculum etiam habito, ejus cineres idem honoris poſſident, quod Pythicæ cortinæ, quod*

*æno*

*geno Dodonæ, quod Ammonis fronte datur, credent à fronte relatum Ammonis*. Vire ingruente, eo tinnitu indicium dabatur ex *Papirio Theb.* 6.

*—— procul auxiliantia Gentes*
*Aera crepant*.

*Livius* adhuc meliùs *Campanorum imbellis*, inquit, *multitudo cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ ſilenti nocte fieri ſolet, edidit clamorem*. De Auguſto Cæſare ſic *Dio. Caſſ. lib.* 54. *Quum ei per ſomnum viſus fuiſſet Iuppiter dicere, ut præſidii loco Iovem tonantem, cui ædem voverat haberet, poſtero die Iovis Statuæ Nolam appendi juſſiſſe: cujus apud præſidiarios milites uſus ſalutaris erat*. Et de ſacris *Bacchi* Trictericis, nocturno quoque tinnitu ſimili perſtrepente, idem *Statius* in *Achilleide*:

*—— paulumque exercita pulſu*
*Aera tacent*.

A ſupplicio affectis geſtari ſolitum *Plaut.* in *Trucul.* 4. 3. ubi *Turneb.* egregiè *lib.* 11. 23. *Adverſ.* & ex *Zonara, Camerar. Subſeciu. Hor. c.* 12. Inde *Viri Tintinnabulati* ex inſtrumenti ejuſdem geſtamine *Carnifices*

dicti

Digitized by Google

dicti, ſivè quia *tinnitum* quemdam loris corpora cædendo excitarent. Advertente *Io: Ger. Voſſio in Etymol. pag.* 522. ſivè ne honoratiores Cives occurrentes polluerentur ex *Fabro Semeſtr.* 2. 8. & *Kipping. Antiq. Rom.* 2. 7. 3. Quibus recẽtem *Noribergæ* morem *Stockfletus* adjungit *cap.* 20. *fol.* 96. quo vitæ donati hodiè, aliis intercedentibus, è collo ſub occipitio *Campanulam* habent.

Non modò autem in Equeſtri Arte, & *Vehiculis Tintinnabula* jampridem refert *Varro* verb. *Stirpea lib.* 4. In terrendis hoſtibus ex *Camerar.* præfato opere *cent.* 1. 77. Verum in *Triumphis*, *Tintinnabulo*, flagelloque ſuſpenſo, indicantes adverſam quoque fortunam imminere; quemadmodum morti addictis, ut jam aperuimus, ne quis contactu illorum inter eundum piaculo ſe obſtringeret. Poſt *Zonàram*, *Amianum*, *Dionem*, *Plutarch.* alioſq; *P. Bulenger. de Triumph. cap.* 30. *circa fin.* ſivè ejus *oper. tom.* 2. *fol.* 60. & *Noctes* videndæ *Granzoviana de antiq. Triumphor. Spectaculis.*

Nec ſimpliciter olim *Vehiculis*: at re-

rebus venalibus, illaſque vendentibus illud appoſitum, cujus ſono ſi qui vellent emere, adeſſe venalia admonerentur. Latè *Io: Schefferus* probat *de Re Vehicularia Veterum, lib.* 2. *cap.* 33. *fol.* 361. ubi quod idem alicubi hodiè per Belgium, aliaſque Regiones. *Argentorati* quoque & in ſua patria Molitorum plauſtris *Tintinnabula* appenduntur, quibus prętervehentes audiri queant, frumentumque ipſis ad priſtinum offeratur, molamve farinariam deportandum. Sic in præſens *Lutetiæ* curribus ad purgandas vias quotidiè decretis, ea penſa, ac pulſata: quibus famuli, quicquid ſordium, vel pulveris in privatis ædibus, foris traiiciendum, ſtatim deferunt. Vide plura apud *Pyrrh. Ligorium* in *Fragm. de Vehiculis antiq.* poſt ejus de *Romanor. Familiis*, recens ex *Biblioth. Sereniſs. Chriſtinæ Svecor. Reginæ* product. & pervolve *Philipp. Frider. Mulleriũ de Via publica*. Romæ *Innoc. XI.* ſan. mem. mandante, majora ſonacula equis ducentibus Curriſellia, ad ambulantium tutelam, adjuncta.

Nomine *ſigni* miniſteria celeriter decurriſſe, ſcripſit *Seneca* de *Brev. vitæ*, qui tamen locus de Digitorum crepatione intelligendus. Apertis quidem verbis de Oraculi cōſilio ad *Aenearum Nolarum* crepitum undique perſtrepentem *Plutarch.* notavit in *Capitum Romanor. enumeratione*. Et *Franc. Accurſ. de Iu. nat. gent. & civil.* §. *conſtat autem in Inſtit.* conſuetum affirmat Populum Romanum, Lege ſancienda, ad *Tintinnabuli* pulſum convocari. Quod tamen abſonum videtur, niſi per Præconem quoque. Hæ verò non forent primæ *Accurſii* hallucinationes, quæ diſplicent valdè *Marco Antonio Surgenti* in ſua *Neapoli illuſtrat.* 1. 11. 37. *fol.* 75. apud Latinos antiquius non exiſtimans ante *Divum Hieronymum*, de *Tintinnabulo* monumentum, in quo ipſe quoque decipitur.

Fuerunt Romanis Bannitores, vicos nocturno tempore *Tintinnabulis* cuſtodientes ex *Dione lib.* 54. nonnihil eo inſtrumento ſignificantes. Verba Hiſtorici rem explicant ſic: *Auguſtus orto die Tintinnabulum Iovi tonan-*

Digitized by Google

*nanti appendit: his enim Tintinnabulis Bannitores nocturni utuntur, ut ſi quid uſus ſit, ſignificare poſſint*, de quo *Tranquillus* id adnotans in Capitolio quoque. Verum de eo perlegendus eſt *Ricquius*. Iiſque horis uſus in *Cærealibus*, ex *Paterculo*; ad eumque poſt *Lipſium*, qui & in aliis ſacris æs pulſatũ, adnotat *Chriſt. Adam Rubert. lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *fol.* 29.

Ingrati animi vitium apud *Ephoros* Cymbali Ingratitudinis ità dicti, quod in Aula Senatoria pendebat pulſu jampridem à Benefactoribus memoratum refert eleganter in ſuis *Subceſiv. Lel. Biſciola*: ſiquidem pro *Campana* vox *Cymbali* apud *Matth. Pariſ.* in *S. Albani Abb. Vitis*, *fol.* 65. paſſimque *Rituum Magiſtros*, & in *Ord. Rom.*

Neſcimus tamen, an fabuloſum, quod de venenoſiſſimo Indorũ Inſecto Naturę ſtudioſi nõ pauci, ac Itinerum Scriptores tradunt, *Campanulam* quandam carneam capite geſtare, cujus motus, ac ſonitus homines, cæteroſque animantes, prudentes reddit, atque avertit.

De

Digitized by Google

De *Campanis Pulmentariis* ſic dictis, eo quia pauperes, & mendicos pluribus in locis, apud *Germanos* præſertim modernos, ad ſportulas publicas advocarent *Stuckbius Antiq. Convival.* 1. 12. ſiquidem *Prandii* hora eo pulſu, vel inter Proceres *Tubæ* clangore, aut alio Muſico inſtrumento vario tempore, & in præſens alicubi deſignata. Quemadmodum celeberrimum *Tintinnabulum* fuit, Vetuſtatem apud *Romanos* convincens, quod Lavandi hora præſcripta, publico ſigno pro *Thermis* adeũdis monebat: *Narbona in Horogr. jur. hora 9. ſub num.* 26. *Andreas Baccius* optimè *De Thermis Antiquor.* 7. 12. Circa quem ritum videndus *Io: Chifletius Tornacenſis Canonicus* in opuſculo, cui titulus: *Fons aqua Virgo, &c. Antuerpiæ* edito, in quo *pag.* 29. *Fabii Nicaſii* ejuſdem Eccleſiæ *Canonici* perelegans Epiſtola, & *pag.* 30. Iconiſmus cęremoniam, & *Martialis* Diſtichon, ſeu *Epigramma* illud pervulgatum 163. 14. adverſus ſaniorem ſententiam declarans.

*Redde pilam, ſonat Aes Thermarum:*

*rum : ludere pergis?*
*Virgine vis ſola lotus adire domum.*

Deſcribit enim facundo ſtylo *Nicaſius*, quod Lectorum oculis ſubiicit, ſuum quoddam vas æneum Romani ęvi, in oppidulo ibi proximo effoſſum, ex ære aurato, catenulam habens trium circiter palmorum, qua ſuſpenderetur. Cujus per diametrum ad ſeptendecim pollices menſura, pondusque librarum quatuor, orbicularis forma ad pelvis modum, ac labrum modicum. Marculo pulſatum, quod putat ab Ancilla quadam, vel fortè ab alio præſtantem ſonum edidiſſe; recens etiam obſervatum adfirmat. Quæ tamen *M. Valerii* ſenſui in præfatis verſibus minimè accomodanda expoſitio, cæteri oſtendunt favore *Tintinnabuli* communiter ferè pernotantes; Cũ clarum ſit, *Hadriani* Cæſaris juſſu, *Balnea*, quàm octava data hora haud reſerari conſueta, benè valentibus maximè, nec antè Auroram *Alex. Severi* tempore aperta *Capitolin.* prodit. Vel ex aliis lavandi uſus ab altera

poſt

poſt meridiem, uſque ad veſperas tantùm permiſſus. Aegris tamen ab ortu, ad Solis occaſum, id libitum: imò ergà populum indulgens *Alexander Severus*, tota nocte patefactas voluit *Thermarum* valvas: qua de cauſa pro *Lucernis*, ac pluribus earum Lycnis oleum dono dedit, ideòque æneæ, grandique forma ibi pendebant. Aperitionis ergo tempus *Tintinnabulo* indicatum; quanquam ad univerſale commodum Piſcina maxima nullo tempore obſepta. Videantur *Capitol.* ac *Spartian.* in *Hadrian. Fortun. Licetus de Lucernis Antiq. Baccius* ubi mox. *Alex. ab Al.* 4. 20. & *Io: Bapt. Capponius* Italicè *nel Marmo Auguſtale frà le Proſe degli Academici Gelati di Bologna, fol.* 253. poſt *Mercurial. Gymnaſt.* 1. 10. *Plin. jun. lib.* 3. *Ep.* 1. optimè ad rem diſtinguit, quem *Fulv. Viſin.* ſequitur in *Append. ad Petr. Ciaccon. de Triclin. fol.* 13. Non deſunt *Corybantia* æra apud *Virgilium*: *Temeſaa Ovidium*: *Auſonium Dodonea*.

Hæc quoad *Ethnicos*, quibus res de qua ſcribimus, nec ignota, nec



Digitized by Google

inaſſueta; quamquam non novum *Tintinnabuli*, & *Campanæ* Vocabulum ubi ſupra *Ferrarius* indigitat: æquivocum tamen hoc, acceptumque poſt *Iſidorum* jàm laudatum à pluribus pro eadem Trutina, Scapho nomis pro eadem Trutina, Scapho notis diſtincto conſtante; ad Librarum diſcrimina indicanda.

*Fideles* autem, Orientis Eccleſiæ initio, ut plurimum ſtatutis horis, vel ſola Devotio cogebat, vel ferventiorum Chriſtianorum per certos homines hùc, illucque miſſos, *Diaconi* forſan, vel *Epiſcopi* nomine, ac munere, ad conventus vocatio. Sic *Vualfridus Strabo de Rebus Eccleſ. c.* 5. Vivebant enim abditi ſævientibus Tyrãnorum perſecutionibus; & cum nequirent ſeſe prodere, quodcumque ſignum ſuo ſtrepitu periculis imminentibus erat ſubjectum. Itaque Lignorum ſonitus eo exordio non reliquit veſtigium ex *Cardin. Baronio* præfato anno 58. *num.* 103. adverſus *Amalarium* 4. *de Divin. Offic.* 21. Et *D. Ignatii Martyris* Epiſtola ad *Polycarpum* in hunc ſenſum, habetur pro ſuppoſititia, quemadmodum

*D. Hie-*

*D. Hieronymi Opuſc. de Regul. Monial. cap.* 33. ubi *Campanulæ* mentio. Sic Critici probatiſſimi, *Bellarminius, Poſſevinus,* & *Labbeus,* de iis, aliiſque Eccleſiaſticis Scriptoribus judicium ferentes.

In Sacris tamen, & apud Ethnicos prius *Lignum* adhibitum, quam quævis ſolidior, aut præſtantior materia. *Clem. Alex.* in *Strom.* ac *Protrept.* & *Pauſanias* in *Corinth.* & *Arcadic.* ex Græcis: *Pliniuſque* ex noſtris 34. 7. explicant. Eorum enim Numina, vel aliquamdiù nullis culta Simulachris, teſtes ſunt *Lucian. de Dea Syria,* poſt *Varr. Aug.* 4. *Civ.* 36. *Tertull. de Idol.* ac *Euſeb. Chron.* 2. Vel rudibus, paulatimque formatis. *Herod. in Euterpe.* Idem *Lucian. de Sacrif. Arnobiuſque* ex *Porphyr. lib.* 6. Hinc, Luxu promanante, celebris illa *Platonis* ſanctio, in leges *Tullii* repetita, quod Lignea, & Lapidea tantum dedicarentur, in fanis non invectis, *Auro, Argento, Ebure, Aere,* aut *Ferro.* Hæc pro Sacra *Lignorum* Antiquitate, de qua nonnulla etiam, apud *Villalpandum* in *Salomonici* Templi Deſcrip-



Digitized by Google

tione, ac Erudiciores Divinæ paginæ Interpretes. Plura quoq; de *Dea Syria* apud *Reverendiſs. P. Henric. de Noris* in de *Anno, ac Epochis Syro Macedonum*.

Quod vox *Alleluja* nonnunquam fuerit adhibita, ipſe *Hieron.* teſtatur *ad Marcellam Epiſ.* 23. ità ſcribens: *Illo tempore plumarum quoque dura mollicies videbatur, & in extructis totis jacere vix poterat. Nunc ad orandum feſtina conſurgit, & tinnula voce cæteris Alleluja præripiens, Prior incipit laudare Dominum ſuum.* Idem in *Epiſ.* 27. *ad Euſtochium*: Poſt *Alleluja cantatum, quo ſigno vocabantur ad Collectam, nulli reſidere licitum erat*. Verum hæc ſolis *Monacis*, ac *Monialibus* conſuetudo, iis textibus convincitur, & aſſentitur *Ioſeph Vicecomes in 2. Vol. Obſervat. Eccleſiaſt. ſeu de Miſſæ Antiq. Ritib. lib. 1. c. 7.* Manebant ipſi uno loco clauſi, propterea cæteris Fidei cultoribus Curſores, Præconeſque deſtinabantur. *Gonzalez in cap. Patentibus* 10. *de Privileg.* Et clarum eſt Sanctum Doctorem verba facere de *Divæ Paulæ*

Mo-

Monaſterio. Melius vero 2. *adverſ. Iovin.* ubi: *Cum ingreſſi,* ait, *domum fuerint, ad Tintinnabuli pulſum preces effundunt: quod ubi fecerunt, Signo ibidem dato, Miniſtri, &c.*

Multiplicem itàque Monachorum jampridem excitationem fuiſſe, certi juris eſt, *Voce* ſcilicet, *Ligneo crepitaculo, Squilla*, grandi *Tintinnabulo, Pedum tripudio*, *Puerique Virga*. Ex *P. Edmundo Martene Congr. S. Mauri de Antiq. Monachor. Ritib. lib.* 1. *c.* 1. *Lugduni* impreſſo anno 1690. ubi ad Lectorem Tractatum *De Univerſalib. Ritibus* pollicetur. In præfato autem opere, ex vetutis *Bruſfeldenſis* in Germania Congregationis *M. S.* aliiſque validis triplicem *Abbatis* pulſum ad totidem preces poſt Cōpletorium: antiquam *Circatorum* ad menſam *Tintinnabulo* pulſationem; eoque ſuper Abbatis menſam in Refectorio, ac ſuper petram Eleemoſynariæ ibi pendente, *cap.* 9. 11. ac 12. *fol.* 87. 110. ac 117. egregiè teſtatur.

*Conſtantini* Cæſaris clementiori tempore ſigna vocalia evulgata, primum forſan in Cænobiis, ut locis tu-



Digitized by Google

tioribus, vel ad aliquid novi introducendum magis aptis. Hinc *Palladius* in *Lauſiacis*: *Poſtquam*, inquit, *hoc Mundo ſolitum tempus impleſſet, ſigno mallei quo cæteros Fratres excitabat, percutiens fores omnium cellarum, ad propria Oratoria deducebat.* Quod malleum erat profectò ligneum: eodemque ritu antiquiſſimo, ad ligneam æquè tabulam pulſato anno 1591. menſe Iunii in Aula *Sereniſs.* nondùm *Electoris Sacri Imperii, Bavariæ* tamen *Ducis*, Familiam vocari ad menſam *Theodoſ. Rubeus I.C.* animadvertit; quemadmodum in *Horar.* ſuo *Eccleſ. Univerſ. cap. 6. nu.14. fol.35.* Nobis tamen ibi ſplendidè exceptis nequaquam id contigit videre.

Auguſta *Conſtantini* Liberalitas erga Eccleſiam, præſertim *Neapoli* erectam, in Libello conſtat de ejus *Munificentia* in Pontificali Opere, *Damaſi* nomine circumdato 1. *Concil. Vol.* in quo plura ipſum dono dediſſe recitatur, veluti *Pharos argenteos, æræoſque*, ſcilicet Candelabra, ac alia. Nulla mentione facta de *Tintinnabu-*

*lis*

Digitized by Google

*lis*, uti nondum penitùs uſu receptis.

Verum inter cætera *Monachorum* ſigna, ad *Synaxim*, vel *Congregationem*, quæ ſumitur unicè pro *Miſſa*, ex *Vicecomite* ubi mox, numerabatur præſertim *Tuba*. Conſtat *num.* 2. *in Reg. Pachomii*, iis verbis: *Quando ad Collectam* (*Miſſa* quoque) *Tuba inſonuerit per diem, qui una oratione tardiùs venerit increpabitur*. Adſtipulatur *Climac. gradu* 18. ibi: *Cum inſonuerit ſignum ſpiritualis Tubæ*. Ea multiplex olim, ex *Polluce* 4. 11. & *Euſtath.* in *Iliad.* apud quem *Minervæ* inventum: *Aegyptiaca* pro ſacrificiis: *Gallica*, *Paphlagonica*, *Medica*, & *Tyrrhena* in *Plinii* 6. 56. Cornea Oſſea, Plumbea, variaq; ac præſertim Aerea deſcribitur à *Virg. Æn.* 9. *ibi*:

*At Tuba terribilem ſonitum procùl ære canoro.*

*Increpuit.*

A Sacerdotibus, Ethnicis quoque adhibita: de quibus *Calphur. Ecl.* 1.

*Inter ſacra ſonare.*

Propterea ſacrum *Inſtrumentum* deſcribitur à *Svida*, & recentioribus. Vide *Caſp. Bartolin.* De *Tibiis Veter.*



Digitized by Google

*d.3.7.pag.* 225. ubi & Illuſtres *Tubicines*.

De *Ligno* locus proſtat *Simeonis Metraphaſtis* in *S. Theodoſii* Cœnobiarchæ Vita,ubi *Monachi autem*,ſcribit, *quidam ex Monaſterio propinquorum,qui morbo Severi laborabant,cum nos vidiſſent accedentes, Lignum quod convocant ad Eccleſiam, pulſabant ante horam conſuetam, & Synaxim ſignificabant Fratribus*: Paulòque pòſt idem *Iuſſit aliquandò, ut præter ſolitam horam pulſaretur Lignum*: *nondùm enim erat hora ſecunda diei.* Rurſùs de Divo Io:Chryſoſtomo: *Cum vidiſſet tàm diligentem, & tàm ſeriam collocutionem, Lignum verò jàm pulſatum vocaret ad Congregationem, accedens ad hominem, dixit eum de cætero non poſſe venire*. In Synodo autem Nicena 2.4. habetur,quod Reliquiæ *Sancti Anaſtaſii* Martyris *Lignis ſacris pulſatis* in Sancta Civitate fuerint recæptæ. Quod non præterit accuratiſſimus *Baron.vol.1. Annoque* 68. Imò *Theodoretus Ridicula excogitata* vocavit *Tintinnabula funi appenſa movere, anno* 450.*lib.4. de Me-*

*le-*

*letian. Hæret.* quia erant quid valdè novum quoad publicum uſum; Utebantur enim Chriſtiani veteres primùm *Cymbalo*, ſeu Inſtrumento ſtrepitum excitante, ut notat *Verger. de Aqua Benedicta*, & in *Baron. Epitome*, *fol.* 608. paulatim poſteà *Campanulæ*, hoc eſt minora *Tintinnabula* prodiere ex *Macrobio lib.* 5. 19. & *Laurentius Surius*, qui *Campanarum* voces uſurpat in *Vitis Sanctorum*, contra veterum Codicum Fidem, gravique ſacræ, ac profanæ Eruditionis diſpendio, priſcas loquendi formulas imperitè cum recentioribus commutavit, cenſorio *Io: Card. Bona* calamo de *Reb. Liturgic.* 1. 22. *fol.* 70.

Nomen profectò *Signi*, tùm genericè, tùm ſpecificè, ut Philoſophicè loquamur, invenitur ad ſequiora ſæcula facillimè productum. Innuit *Pignorius*, promiſcuè cū illo diſcurrens de *Nola*, & *Campana*, quæ paulatim utrumque, majus ſcilicet, ac minus *Tintinnabulum* propagarunt. In promptu ſufficientia teſtimonia *Eckhardi* junioris *de S. Galli Caſib.* *cap.* 14. hoc planè modo: *Signumque*



Digitized by Google

*curſim pulſantes Fratres advocant*, & 16. *Abbate accito, Signum pulſatur ad Capitulum*. Clariùs verò *Cindaſvinthi* Regis Gothorum in Hiſpania, Charta, apud *Yepez* in elaborato Divi Benedicti Chronico *tom.* 2. *ere* 684. *Offerimus Vaſa, Altaris, &c. Signum fuſile æneum, bonæ modulationis, demulcens auditum*. Amplius, in *Capitulari Monachorum Sangallenſium* in Helvetia, edito circa 817. ann. *nu.* 2. extans in *Append. Actor. Veter.* ſeu *tom.* 2. *Capitular. Reg. Francor.* per *Steph. Balutium* plurimæ Lectionis, ac Scriptionis Virum, per ipſumque illuſtr. *pag.* 1383. ibi: *Ut ad Coquinam Signum non ſonetur; ſed Ebdomadarius facta Miniſtratione, illud Tintinnabulum, quod antè Abbatem pendit, tangat. Quo ſonato, inclinet ſe ipſe Ebdomadarius, atque omnes Fratres uſque dum à Sacerdote Benedictio compleatur*. Ibique ſæpiſſimè nomen *Signi*. Et, in ipſius *Caroli Magni Capitularibus, tit. Capit. Epiſcop. num.* 8. *Ut omnes* habetur, *Sacerdotes horis competentibus diei, & noctis ſuarum ſonet Signa Eccleſiarum, & ſacrata*

ta

Digitized by Google

*ta Deo celebrēt officia, & populos erudiant, quomodo, aut quibus Deus adorandus eſt horis*. Apud præfat. *Balutii* Opus *tom. 1. pag. 359.* ibidemque ſimilia *pag. 586. & 951.* paginaque 1289. inter Capitula Herardi Archiepiſcopi Turonenſis. Pœna indicta Legis Salicæ *titul. 35. §. 2. Si quis Cervum* (ſic rem demonſtrans) *domeſticum Signum habētem, aut occiderit, aut furaverit*, ubi pro *Nola*, ſeu *Tintinnabulo*, advertenda eruditiſsimi *Hieron. Bignonii* Interpretatio: Eaque cum *Dagoberti Regis Capitularibus* conſonat *anno 630. tit. 8. §. 11.* apud *eund. Balutium tom. 1. fol.* 118. ibi: *Si quis Tintinnabulum furaverit de Caballo, vel de Bove, cum uno ſolido componat. 2. Si de Vacca, cum duobus tremiſſibus componat. 3. Si de Minutis Pecoribus, cum Tremiſſe componat.* Plura etiam apud *Turonenſem*, *Rugerium, Anſelmum*, alioſque Frāco-Gallos paſſim. Et videndus *Haeſtenus* in feracibus ſuis *Monaſticis Diſquiſition.* Notatque de Signis digitalibus Monachorum obſoletis ad ſilentium ſervandum *Du-Freſne tom. 3. Gloſſar.*



Digitized by Google

*pag.* 826. *Indicis* quoque nomine Tabella fuit, *Campanulæ* vice, ad Exercitiorum ſigna per Monachos adhibita, juxtà *Smaragdi* Scholion in 4. *Regulæ Benedictinæ* caput.

Videmus itàque privatos, multiplici nomine, ac forma, *Tintinnabulorum* in Eccleſia progreſſus, tempore tamen *Divi Bendicti* à Monachis ſatis præſcriptos, illos convocandi cauſa: quod monuit *Iul. Nigron. in Reg. Commun. Soc. Ieſu, nu.* 4. pateтque ex *Divi Gregorii* Dialogis 2. 1. ubi de Divo *Romano* ergà Sanctiſsimum illum Patrum patrem: *Reſti autem*, ſcribit, *parvum Tintinnabulum inſervit, ut ad ejus ſonum Vir Dei cognoſceret, quando ſibi Romanus panem præberet*. In *Sublacenſi Specu* celeberrima, *Benedictus* Monaſticæ profeſſionis fundamenta jecit, circa annum 495. ut ex *Petavio*, & aliis Chronologis, ibique *Tintinnabulum* ipſum, ab invido humanæ ſalutis hoſte fractum, & quodammodò reſtitutum, pia veneratione in præſens colitur; cujus ectipon ſtudio quo potuimus elapſis menſibus ibi adventantes, beni-

nignoque hoſpitio *Reverendiſs. P. D. Michaelis Angeli Inurea* vigilantiſſimi illius Archicænobii *Abbatis*, excæpti hauſimus, & oculis Lectorum hìc ſubiicimus; utraque ſcilicet, prima, ac veteri, poſterioríque, ac præſenti forma, ſeu cuſtodia præſtantiori. Cujus *ferreus Malleolus*, duodecimo ſæculo ſub terra inventus, *Eruditiſs. Archiep. D. Angeli à Nuce* teſtimonio, in ſuis præclaris ad *Caſin. Chron. Notis*, *n.* 43. quadrans cõcinnè, ibi quoq;. Indubiis majorũ Traditionibus illud ſervatur, ac ſtare videtur pro *Minoris Tintinnabuli* Chriſtiani Vetuſtate; pro qua facit quoque ejuſdem Sancti Patriarchæ textus in *Regul. cap.* 43. ibi: *Ad horam Divini Officii, mox ut auditum fuerit Signum, relictis omnibus, ſumma cum feſtinatione curratur*; Quamquam poſſemus aſtruere, quod parvo ad numeroſam, & forſan diffitam familiam non ſufficiente *Tintinnabulo*, adjungerentur lignea, vel ſimilia narrata *Signa*, ut hodiè quoque apud Regulares quamplures, & Nos meliùs infrà explanabimus.

C A-

# CAPUT II.

*Nolanum, ſeù majus Tintinnabulum Iconiſmo expreſſum, olim in Eccleſia productum.*

Tintinnabulis grandioribus *Campanæ* nomen impoſitum circa ſeptimi ſeculi finem, & octavo, ac nono apud omnes diffuſum, ſcribit opere *Liturgico* jàm laudato, undequaque *Eminentiſs. Cardinalis Bona*; à quo in hoc non omninò diſſentimus, quicquid *Suar.* in *Defenſ. Fidei* 2, 1, 3. & *Creſpe. in Summa Eccleſ. Diſciplin,* verb. *Compana*, aliique affirment; res enim per gradus excreta, & clanculo adhibita, communis boni gratia, tãdem fit univerſalis. In hoc tamen calculo aliorum ſenſus diſcrepat, & præſertim *Romani Ordinis* Auctoris, qui ab anno ſexcenteſimo ad Officia Divina grandiuſculis *Tintinnabulis* Chriſtianos vult coactos, dum titulo de *Sabbato Sancto*: *Iuſſi*, inquit, *in Eccleſia, Litaniam, Tertiam, & Campanæ tanguntur, ingrediuntur ad Miſſam.*

*ſam*. Idemque Miſſam Epiſcopi celebrare parantis, diebus feſtivis in ordine Proceſſionis, explicat hoc modo: *Cum Tintinnabulum ad Tertiam ſonuerit, omnes ſimul Fratres in Chorum ordinatim convenire debent*. Quod, ex Actis Sancti Lupi, *Cardinalis Baronius* refert ad annum 614. & ſequitur *Io: Bapt. Caſalius de Veterib. Chriſtianor. Ritib. cap. 43. ſol.* 190. Rursùs *Beda Hiſtor. Anglic.* 4. 23. anno ſeptigenteſimo de *Hilda* Monialis obitu, ſcribens: *Hæc*, ait, *tunc in Dormitorio Sororum pauſans, audivit ſubito in aere notum Campanæ ſonum, quo ad orationes convocari, vel excitari ſolebant, cum quis eorum de ſæculo fuiſſet evocatus*. Poſt quod tempus celebris etiam uſus in ea Inſula, cum *Turketulus* Croylandiæ Abbas, qui circa 875. annum obiit, Monaſterio à ſe conſtructo, duo *Tintinnabula* eximia dono dederit, *Bartholomæi*, & *Betelini*: duo media, *Turketuli*, ac *Betuvini*: totidem minora, *Pegæ*, & *Begæ* nomine, maximo quod harmoniam cum iis perficiebat, appellato *Guthlaco*. *Io: Iacob. Hofmann.* tradit

*Le-*

*Lexici Univ. tom. I. pag. 359.* Non tamen pænitus tūc *Signi* nomen extinctum; poſteà enim, ac Imperante *Carolo Magno*, in Fragmentis de *Veteris Eccleſiæ Ritib.* à *Volf. Latio* collectis legitur: *His finitis pulſantur Signa ad Miſſam publicam*. Et apud *Guilbert. Tornacum 15. cap. de Offic. Epiſcop. Signa, quæ pulſantur in Miſſæ principio; Tubas argenteas ſignant, & ductiles, quibus convocabatur populus in veteri Teſtamento.* Finis forſan hìc reſpicitur; utriſque enim, ſivè *Tintinnabulis*, ſivè priùs *Tubis* ſacræ paginæ *Numeror. 10.* plebs ad publica vocabatur, quemadmodum *Ioſephi* textus ſuperiùs omiſſus *Antiq. Iud. 3. 11.* iis verbis docet: *Adinvenit enim* (Moſes) *& modum Tubæ ex argento factæ, quæ eſt hujuſmodi, longitudinem quidem habens, &c. Factæ ſunt tales duæ, & una quidem utebantur ad juſſionem, & collectionem populi in Eccleſiis celebrandam, altera verò cum oporteret, ad cogitandum de rebus neceſſariis Principes convenire. Ambabus autem multitudo colligebatur.* Eas imitati ſunt *Tintinnabulorum* Artifices,

ces, de quorum uſu *Io: Belethus de Rebus Eccleſ. cap. 5. Quia verò Tubas æreas, & argenteas in lege habemus, & Propheta quaſi Tuba vocem Prædicationis exaltare jubet, congruè his vaſis utimur in Congregatione fideliũ, ut Prædicatio noſtra in Eccleſia, pura in argento, in ære ſignificetur durabilis, & ſonora, ideſt, ut nec hæretica fœdetur rubigine, nec negligentiæ laſſetur pigritudine, nec humana ſupprimatur formidine.* Et de ſeptuaginta duobus *Campanulis* in veſte Summi Sacerdotis, quæ ingreſſu Sancta Sanctorum ſonabant, *Malach.* 2. Eruditè *P. Aloyſ. Novar. in Schediaſm. Sacrograph.* 1. 25. 126. & ſeqq. Breviter aſtruimus inventum, ac in altum erectum *Tintinnabulum* ad agendum gratias Deo, ex *I. C. Franciſ. de Petris in Hetruſc. Lyric. p.* 1. ob eum enim finem eſt populus advocandus: aliis verò de cauſis etiam difformibus; ob univerſale commodum, poſteà adhibitum.

Uſus apud *Monachos* non priùs anno 740. ex *Caſalio* ubi ſupra, cum ſcilicet *Zacharias Papa*, circa illa tempora, *Caſinenſibus* privilegium

in-

indulſit, quod in nocturnis, diurniſq; Eccleſiæ officiis, hoc in Eccleſia pulſarent ſignum, quod aliis ſignis, vel Tubis præſtat. Eundemque Pontificem aliis Monachis id liberaliter cōceſſiſſe, ut horas ſuas à Miſſa *Campanarum* ſonitu diſcernerēt anno 747. poſt *Dietericum* p. 1. *Concion. ſingul. Stockſletus cap.* 14.

Quoad Eccleſiam hæc Latinam, ſeù Occidentalem, quæ in *Baſilica Vaticana* per *Bonifacium VIII.* Pontificem, cùm plurimis aliis ornamentis, *Campanas* obtinuit ſonoras, acutaſque, ex *Volaterr. lib.* 22. & primum in Lateranenſi per *Io: XIII.* ſolemni benedictione anno 968. ut infrà: *Bonifacius* enim ille poſt *Innocent. VI.* ut *Vaticana* Manuſcripta ex *Rocchæ* fol. 84. teſtantur, *Tintinnabulis* confractis, ſex nova duplicis ponderis fundenda voluit, faſtigio *Turris*, per *Leon. IV.* excitato anno 810. ex Ciacconio, reparato poſteà 1352. Verba in quatuor præcipuis impreſſa, præter *Roccham pag.* 52. *D. Abb. Carol. Bartol. Platea* refert in ſua *Ephemeridi Vaticana menſe Decemb. num.* 14.

*fol.*

*fol.* 734. Apud quem, de tertio, vel quatuor minorum primo, ex veteri inſtituto ad *Sacrum Rotæ Auditorium* vocandum mentio. Serius verò in Græca, ſivè Orientali, *Tintinnabula* invecta; anno ſcilicet 865. *Ioſephi Vicecomitis De Miſſæ Ritib. Antiq.* 1. 25. calculo, ſeù 870. *Sabellici* 1. *Ennead.* 9. ac *Platinæ* in *Nicolao I.* ex munere ſcilicet duodecim mirifici ſoni, & artis *Campanarum*, *Baſilio* Conſtantinopolitano Cęſari, per *Urſum Patriciacum* Venetorum Ducem miſſo. Priùs enim, annoque 627. apud *Amalarium Fortunatum* Altitudinis Signorum, quę pulſata, ſacraque ligna dicta, in obitu *Divi Anaſtaſii* Martyris Perſæ mentio, ex *Act.* 4. *Syn.* 7. lib. *de Eccleſ. Offic.* 4. *cap.* 21. & ex *Baronio* anno 616. Sapientiſsimus Pontificii Iuris Gloſſator *D. Emanuel Gonzalez* in laudato *Decretal. cap. Patentib. de Privileg.*

Verum, quis *Tintinnabulorum* hoc modo grandiorum in Eccleſia Dei fuerit Inventor, vel Propagator, adhuc ſub Iudice lis eſt, contendentibus acerrimè nonnullis pro *D. Paulino*

*lino* Epiſcopo *Nolano*, aliis pro Pontifice *Sabiniano*, utrumque autem plurimis negantibus. Primo aliquatenus favet *P. Martin. Del Rio Diſquiſ. Magic.* Eccleſiaſticum morem ante mille annos derivans, ſecumque ferens non modicam Scriptorum Turbam, & maximè *Guid. Pancirol. Rer. Memorab. ſeu Deperdit.* 2.10. cui tamen adverſatur ipſius Commentator *Henric. Salmuth. fol.* 158. At pro eodem ſtant *Durand. in Rat.* 1. 4. *Pol. Virg.* 3. 18. *Strab. Selva de Benef.* 1.5.50. *Barboſa Vot. deciſ.* 102. *num.* 4. *& 6. lib.* 3. aliique, quos orbo oculo, ut plurimi Leguleii, ſequitur *Leand. Galganet. Iur. Publ.* 3. 62. poſt quem *Eliſ. Danza Pugnæ* Doctor. *tom.* 1. *fol.* 515. Altero quidem originem adſcribunt *Rhodigin. Lect. Antiq.* 19. 11. *Sanctorell. in Praxi Med. cap.* 32. *P. Iacob. Gualter. in Chronol. ad ann.* 700. *Rainaud. in Heterocl. ſpirit. pun.* 7. *fol.* 411. *Ciacconius*, aliique. Neutri tamen aſſentitur *Cardinal. Bona*, controverſiam in ancipiti relinquens.

Probabilior verò ſententia, D. *Paulinum*, *Hieronymo* coævum circa

an-

Digitized by Google

annum Domini 420. ex *Trithemio* Gentilium abuſum in profano *Tintinnabulorum* uſu correxiſſe, & ad Eccleſiæ noſtræ munera tranſtuliſſe. Subſcribunt *Iunius Animadverſ. 3. 11. Salmuth.* in *Not.* jàm *cit. ad Pancirol. Hoſpinian. de Orig. Templor. 2. 14. Paul. Verger. de Aq. bened. & Baptiſ. Cam. Orig. Io: Franc. Bernard. Ferrar. de Ritu Sacrar. Concion. edit. Pariſ. 1664. lib. 1. cap. 7. fol. 32.* & *P. Del Rio* ſententias concilians adſtruit, *Tintinnabula* antiquitus forma parva, aucta fuiſſe *Campanarum* nomine, ut ſacræ paginę, ſeu Antiqui Teſtamenti *Tubis* ſuccederent. Idque ſcribit *ubi ſupra 2. 3. in fin. lit. E.*

Ex præcellenti quodam Artifice Campano, vel ex *Campaniæ fœlicis* regione potiùs, vulgò *Terræ Laboris*, quam eruditiſſimè in materna lingua *Camill. Peregrinus* deſcribit declarans Italicè, *Campaniam*, non verò *Campagna* dicendam, eleganterque è *Cœleſtinis* Vir vividi Ingenii *P. Abbas* D. *Cœleſtinus Guicciardinius* in *Mercurio Campano*. Ibi enim Æs optimum ad *Campanas* conflandas

cre-

creditur, & probatiſſimæ Figlinæ. Unde *Venuſiæ* Lyriſtes 1. *Sat.* 6.

*—— Adſtat Echinus.*

*Vilis cum Patera Guttus* Cam*pana ſupellex.*

Aut, quod in Urbe ejus Regionis *Nola* (vetuſtiſſima quidem, Romanæque Fidei, anno quadrageſimo ſupra quingenteſimum Romæ conditæ ab *Annibale*, teſte *Livio*, fruſtrà obſeſſa) *Tintinnabula* ſint olim reperta, vel fieri cæpta grandiora. Aut neutrum, ſed tantum à Sanctiſsimo Viro ſanctificata, ideòque *Nolano* verbo appellata, vel apud Vulgum, communius dicta *Campanæ*; & non inſulſe: Siquidem conflatæ ex *Aere*, quod in Regione hac oriebatur, *Plinio* adſtipulante 8. 34. ubi laudato *Cyprio*, ac ſpeciebus, *Coronarii*, *Regularis*, *Caldariique* diſtinctis: *In reliquis*, inquit, *generibus palma Campano*. Idemque cap. 1. *Celebritas*, ſcripſerat, *in Aſia*, *& quondam in Campania*, tanquam de materia jàm obſoleta, *Bergomenſe* illo ævo commendans. D. *Iſidor.* verò *Ethymol.* 19. 16. *Campanum*, ait, *inter omnia genera Aeris, vocatur à Cā-*

pa-

*pania Provincia, quæ eſt in Italiæ partibus, utenſilibus, & vaſis omnibus probatiſſimum*. Ad præfatam autem *Horatianam*, antiquior Scholiaſtes hæc habet: *Campana ſupellex, fictilis, quia in Campania Vaſcula optima fingebantur ex Angilla, vel Aere.* Proſequitur *Acron: Fictilis, vel Viminea, vel ænea, quia in Campania dicebantur æneæ res optimè fabricari*. Et *Porphirion* nonnihil his verbis addit: *Campana ſcilicet, quia Capuæ hodiè ærea Vaſa ſtudioſius fabricari dicuntur*. Ubi, ad materiæ effuſionem coarctare videtur nomen, optimè forſan, quia Provincia induſtrios aleret Artifices, quemadmodum in ejuſdem metalli opificio *Sulmonenſes*, ac *Amſanenſes* in *Aprutinis* excellere noſmet vidimus. Plura de eodem apud *Peregrin.* jàm productum *Diſcurſu 3. fol. 555. ac ſeq.* Et *Campania* pro *Campeſtribus* locis à ſummo Viro *Nicol. Rigaltio* ad *Rei Agrariæ Veteres Auctores* fuit interpretata plurali voce.

At ejuſdem *Nolanæ* Urbis apud *Virgil.* mentio ibi:

—— *Dives erat Capua, & vicina Veſevo* *No-*

Digitized by Google

*Nola jugo,*

quæ tamen carmina Poetarum ſummus pro ruris proximi commodo aquam à *Nolanis* non recipiens, invertit ex *Gell.cap.*20.

*Ora jugo.*

Cujus incolæ Oris impuri habiti: Hinc *Oſci* quaſi *Obſcæni*, ut *Porphir.* in Scholiis præfatis. Et Ænigma de *Clodia*, in *Triclinio Coa*, in *Cubiculo Nola*. Urbs tamen pia, Nobilis, & præclara, de qua *Ambroſ. Leo* in de *Agro Nolano*, *Fabritius Galli in Synod. edit.*1588. *M.S.* In recenti Hiſtoria *D. Carolus Guadagnius*, ubi plura de *Divo Paulino* quoad *Tintinnabula* Eccleſiarum: & Gallicè *D. Ludovicus Moreri* nel *Grand Dictionaire Hiſtorique, tom.*3.*fol* 710 ubi *Nole*, inquit, *Ville plus illuſtre, e plus renommè par la vertù de S. Paulin.*

Negotium faceſſit pro negativa *Eminentiſs. Bona*, quia nil de *Tintinnabulis* ipſemet *Paulinus*, nec de *Turri*, ſingulas Baſilicæ (quæ mille paſſibus diſtat *Nola*, *Cæmeterii*, ſeù vulgò *Cemitino* appellatione, ſacroque cultu inſignita) à ſe conditæ partes de-

deſcribens, nec verbum apud ullum
Patrem coæuum: quemadmodum
ſilet *Anaſtaſius* in Vita *Sabiniani* Põ-
tificis, nec ſequiori ætate quicquam
ſcribunt *P. Petrus Franciſcus Chifle-
tius* e *Soc. Ieſu* in *Paulino illuſtrato*. ac
in ejus Vita *Fronto Ducæus* & *Heri-
bertus Roſuveidus*. Hoc tamen non
mirum, ſive, quod res nondum fuerit
abſoluta, ſive ob Sãcti Viri humilita-
tẽ, vel ejus ſæculi obliuionẽ, aut incu-
riã, & cõmune forſan plurium ſacra-
rum Hiſtoriarum deperditarum in-
fortunium; ſiquidem deficiente *A-
naſtaſio*, admodum jejuni eſſemus de
illo ævo. Id contingit de *Sanctiſſi-
ma Aede Nazarena B. Virginis*, &
Chriſti ſervatoris habitaculo, *Mar-
chiam Anconitanam* & *Laureti* Ur-
bem adſportato, rariſſimo ſanè mira-
culo, quod nullum tunc ſcriptorem
oſtendit: idque incompertum in
*Lauret. P. Terſellini Hiſtor.* & *P. Ca-
rol. Franc. de Luca Itinere*. Et, de
aliis valde ſingularibus Artificiis, In-
ventores apud Eruditos liquido mi-
nimè conſtant: quemadmodum de
cudenda Moneta *Io: Georg. Krullius*

de *Regali Monetar. Iure ſcribit cap. 1. nu. 6.* ac de aliis rarioribus alii.

Oppoſita improbata ſententia remanet adversùs *Divum Paulinum*, *Tintinnabuli* majoris in Eccleſia productorem, pro quo perpetuæ ſacræq; Traditiones exiſtunt, & præter *Durand. in Rationali And. Ferrarium* italicè *nel Cemeterio Nolano* : *Centoflorenium in Clypeo Lauretano*, alii plurimi adſtant Viri graviſſimi voci quoq; latinæ communiter acceptæ *Nolæ*, & *Campanæ* innixi. Hinc merito vetuſtiſſimum *Campaniæ* Civitatis, *Neapolis* in Regno ſymbolum eſt *Tintinnabulum*. Idemq; ipſiuſmet *Nolanæ* Urbis cum Cicadis ibi ad eum ſonum trib. circiter Italicis millibus abſentibus. Fornax quoque & Turris Campanaria *Cæmeterii* viſuntur ex Pauliniano opere nobis tradita, vel potius ad vetuſtam ideam reparata.

Quoad *Sabinianum Martin. Polonus* ad *Ann. Chriſti 604.* in ſuis *ſupputationib.* hæc habet: *Conſtituit ut Horæ diei per Eccleſias pulſarentur*. Ad quę meditatio *Platinæ* fuit hujuſmodi:

Digitized by Google

di : *Hoc fuiſſe inſtitutum ferunt , ut Horæ in Eccleſiis diſtinguerentur Officii gratia* . Similia iis verbis *Horas diei* ſono *Tintinnabulorum diſtinxit* habentur apud *Volaterran. d. lib. 22. Anthropol.* ſcilicet *pag. nobis* 251. De ipſo *Durand.* 1.41. ſtatuiſſe pulſum hunc ad Horas Canonicas, ut fideles excitarentur, & lætitiam Cordis exprimerent. Notat vero *P. Auguſt. Oldoinius in Addit.* ad *ejuſd. Sabiniani* Vitam ſeu *Hiſtor. Ciacconii* nuperæ editionis *tom. 2. fo. 422. litt. C. & D. Tintinnabulorum* grandiorum uſum , ſeu *Eccleſiæ Nolanæ* ritum (profectò ex *D. Paulino* ) ad *Romanam* tranſtuliſſe: ex qua ad reliquas, tùm *Occidētis*, tùm *Orientis Eccleſias* promanaſſe fatetur ingenuè . De hoc inſtrumento mentio ab anno 730. apud *Alcuin.* de *Offic. Div. cap.* 17. & in Iure ſub vulgariori *Campanæ* vocabulo, ultra præfat. *cap. Patentib. de Privileg. cap. nimis iniqua de exceſſ. Prælat. cap. in cauſis de Elect. & cap. fin. de exceſſib. quoq. in 6.* ubi plura per Pontificios *DD.* Nec deſunt Hiſtorici, preſertim celeberrimus *Abulenſis* in *Tract. de*



Digitized by Google

*ta Miſſa*,& *Frãc.Boill.* in libello quoque hiſpanico,cui titulus *Nueſtra Señora del Puche*: quib. addimus *Sũmõtium Hiſt.Neap.lib.1.fo.351. & ſeqq.*

*Tubarum* ſacri Textus formam aſſequi profectò ſtuduit *Divus Paulinus*, ut ex ejus *Nolani Tintinnabuli*, quod his proximis foliis damus,conſtat veſtigio.

Longius cæteris illud eſt conſuetis ac vulgaribus, & ad ſex Palmos Romanos protenſum. Duodecim conſtat ejus labii circumferentia, quatuor latitudo, duobus convexitas, tertio autem ipſius labii craſſities. Bina extant in ſuperiori concavo foramina, quorum alterum minus altero. Sex æneis ſubſtat anulis, vel potius manicis. Ferrea lingua pellaceis ligaminibus elevatur, è cujus ore per grandem funem fit motus gratuſq; Tinnitus. Propè labium non admodum inverſum, Longobardicis valdè obſcuris caracteribus, ſæculi decimiquarti numerus,nomenq; Artificis legitur, *Iacobi* ſcilicet *de Caſerta*. At ſuperius,triplici ductu, ſed nimium per pluvias aliaſq; aeris

inju-

Digitized by Google

injurias labefactato, vix conſpici queunt, eodem planè Longobardum Alphabeto, Cęſarea ac Regalia ejus ævi nomina. *Paulinum*, præfert titulum, & à ſuis non modò, quam ab exteris continuò pièq; viſitur: ibiq; ſubtus genua flectuntur. Verùm, quod mirum, ad laneum tactum, ſive ad aliud quodcunque antipaticū, æs illud etiam calidum, haudquaquam frangitur.

Aliud *Fælicis* nomine (cujus veneranda Sancti Epiſcopi oſſa aqueum liquorem ibi manant in inferiori Cathedralis fornice, morbis quibuſque ſaluberrimum) adeſt ſociale novum labentis ſæculi *Tintinnabulum*, quod ferreo malleo quoque indicat horas: Duoque minora ſuperiùs pendent in eadem Turri, cujus idea illam prorſus Cāpanarię *Cæmeterii* mox enarratam aſſequitur, quam in Lucubratiunculæ noſtræ fronte cum lemmate apponendam curavimus.

Quod itaque *Nolanum* hoc ſit iterum fuſum, conſtans in ea Urbe, ac Regione Campana, majorum Traditio, apud quos idem numero æs ad

pondus adhibitum, in ipſorum Annalibus ſcriptum fertur. Adfuimus noſmet, vidimus, & audivimus nonnulla, ab humanis, ac Eruditis templi Canonicis, ac Patribus Societatis, rem ſedulò nobiſcum dipungētibus.

Ex *Baronio* autem, *Bellarminio*, ac univerſa Theologiæ polemicę ſchola, *Traditiones* Patrum, & piæ vetuſtiores, accipiendę ſunt in Eccleſia. Fortè id ad trutinam revocarunt eodem anno milleſimo quadringenteſimo Nolani Epiſcopi *Franciſcus Scaccanus* de Nola, & *Flamengus* vetuſta Neapolitana familia *Minutula*. Noſtræ accedunt ſententiæ Philologi non pauci. Nugantur tamen cum vili plebecula qui putant Sanctum Virum duplici Indicis tactu æs illud aperuiſſe, ac ſonum temperaſſe.

Et ſi ex præfatis indubiè refectum idem appareat *Tintinnabulum*: pro eodem tamen ac præcedenti habendum, ſi eadem ut ſupponitur ejus eſt forma ac ſubſtantia. Sic ad *tex. Alfeni in l.76. ff. de Iudic. & l.24. §.fin. ff.de leg.1.*poſt *Hermol.Barbar.Alex. ab Al.3.1.Cujac.tract.5.ad Afric.& l.*

83.

*83. de Verb. oblig. Grot. de Iu. Belli 2. 9. ibiq. not.* In ſimili, & fortioris Navis refectæ caſu *Reinold. Kuriche ad Ius maritim. Hanſeat. q. 3.* Sic pro iisdem habita *Romuli* ædes lignea, & *Navis* illa *Victoriæ* celeberrima paulatim & penitus reſtitutæ, quemadmodnm Hiſtorici teſtantur.

Pro jam deſcriptis foraminib. verò obſervāda hæc *Petri Boerii* verba: *Campanæ ſignum in antiquis Monachorum Cænobiis, vel fractum fuit, vel perforatum, ut ſonum emitteret terribilem, idque ut Monachi recordarentur terribilis illius vocis, Venite ad judicium, vel in ſignum quod ſumus de ordine S. Benedicti, cujus Tintinnabulum Diabolus jactu lapidis fregit.* Unde patet ſignum quodcumque ſuffeciſſe, perpenſa nihil prorsùs ejuſdē ſuavitate: quam tamen huic noſtro mirabiliter affixam non ſemel audivimus. Simile ac ejuſdem ut ſcribunt, vel paulo poſterioris ævi *Tintinnabulum* duobus palmis extenſum, unoque ac medio latum in pervetuſto *D. Thomæ*, dirutæ *Paterni* Cathedralis, *Cantuarienſis* templo, prope



Digitized by Google

*Caramanicum* in Aprutinis, *Magellæ* Sanctuario adnexo. Forma oblonga preter conſuetudinem, ac ſonus argenteus. Verba in eo nonnulla obſcura.

At diſcrepans valdê pervetuſtum duplex adhuc ſervatur *Tintinnabulũ* in parochiali *D. Matthæi* Templo ac Turri *Scalenſis* antiquæ ac nobilis Urbis propè *Amalphitanos* in Regno *Neapolis*. Imitatur enim formæ latitudo grandiores ad bulliendum Lebetes. Verbum ac ſymbolum nullum ſubeſt. Inter pręcipua numerãda putatur ex nongenteſimo ſexageſimotertio reparatæ ſalutis anno, quo fuit elevatum, referente Italicè *D. Carolo de Lellis* nelle *Fameglie Nobili del Regno*, ac propriè *della Bonito p.3.pag.309.ac ſeq.* ſi quidem *Lateranenſe* celeberrimum, ut videmus ex *Card.Baronio*, *Ioannis XIII.* ope, eodem ſæculo, ſed poſt quinq; annos. Typon ſubiicimus, ac monemus grandius ad quinque palmos lateſcere, ad duos, & dimidium attolli cũ manubrio: minus verò quatuor & medio dilatari, & vix duobus abſque

ſque manubrio contrahi. Similia bina ſunt proxima *Ravellenſia*, majora quidem in *Divæ Mariæ* vulgo *di Gradillo* veteri Paræcia, minora in Cathedrali.

De *Tintinnabulis* ſublevatis Aenigma ſatis elegans circumfertur, æque relatum à *Franc. Suuertio* in *Notis ad Magium cap.* 20. *fol.* 143. & *Henr. Arn. Stock fleto cap.* 10. Anonimo Auctore.

*Eſt intra Cælum; eſt intra māſio Terras*
*Non Cælum tango, non quoq; tango ſolum*
*Conſtringor vinclis, concludor robore duro*
*Ut nulla mutem conditione locum*
*Os mihi ſemper hiat, petulanter & exero Linguam*
*Nec, niſi cum cogunt verbera multa loquor*
*Cum loquor aſſiduis repleo clamoribus aures*
*Verbera cum ceſſant, tum quoq. ceſſo loqui*
*Non ulli noceo clamoribus, hortor iniquos*
*Contrito quærant corde ſalutis iter.*



Digitized by Google

Aliudq; brevius *Nicolai Reuſneri*

*Os mihi ſemper hians, & pendens ferrea lingua eſt.*

*Vox eſt nulla, niſi prodita verberibus*

Ad *Paulinum* autem illud *Aes ſonans & Cymbalum tinniens* p. *Cor.* 13. ac *Iuvenal.* Carmina *Sat.* 6.

*Tot pariter pelves & Tintinnabula dicas*

*Pulſari: jam nemo Tubas atq. æra fatiget*

Alludere videtur *Theodori Bezæ*, impiiſſimi *Io. Calvini* Hereſiarchæ Aſſeclæ, Emblema hoc perpolitum

*Aera gravi cunctos veluti Campana ſonore*

*Ipſa licet penitus ſint ſibi ſurda ciet*

*Si es recta docens alios, perverſa ſequute*

*Quinq. aliis ſapiens, non ſapis ipſe tibi*

Quod tamen à Catholicæ Religionis hoſtibus odio *Tintinnabula* ſint, *Durand.* notavit *Rit. Eccleſ.* c. 22. *ſanè* ſcribens *Huguenoti* vel *Hugonotiſtæ*, *& cæteri hujus ſæculi Hæretici Campanis bellum indixerunt: eas enim*



Digitized by Google

*frangunt & comminuunt*, *Saracenos imitantes, &c.* & *Chriſtian. Ad. Rupernus*, Auguſtanæ, quam vocant, *Lutheri* Confeſſionis in ſuis ad *Patercul. Obſorvat. lib. 1. cap. 4. §. 4. fo. 29.* ſic ſcribit *Fallor, an à Gentilibus mutuati ſint Pontificii, apud quos receptū ut tonante Cælo, Campanæ perſtrepant? Nos à Pontificiis habemus, ſed ſuperſtitione expiata, de precib. fundēdis aurem vellicamus. Tradunt tamen & hujus conſuetudinis hodiernæ aliam cauſam, quod Campanarum complosu aerem longè lateq. diverberante, vis tonitrui infringatur.* Ipſi autem à ſacris tantum abhorrent Cæremoniis, & Benedictione præſertim, ex *Fabio Gualterio Nella Giunta al Panciroli delle Coſe ritrovate lib. 2. cap. 9. conſiderat. 75.* Neq. iis cunctis hujuſmodi inſectio, cum *Pragæ* in Bohemia *Huſſitæ* eminentiſſimas haberent Turres *Tintinnabulis* quamplurimis eximiis refertas, quorum concentu ſeſe maximè delectabant, ut vidit anno 1591. ac ſequenti, ſcripſitq. poſtea *Theodoſ. Rubeus in Horar. Eccleſ.* jam laudato *cap. 6. nu. 30.*



Digitized by Google

& quamquam, ex eodem ibidem, *Eliſabetha* Tyrannicè in Anglia Regnante ingens eorum numerus à mercatoribus in Urbem fuerit advectus, nempe Florentinis, quo tempore penſum fuit celebre illud *Romani Collegii* apud *Patres Societatis*. Eorum templa quæquæ non pauca, ſive Parochialia, ſive Collegialia & Cathedralia, ad ſacras vocant preces matutinis ac veſpertinis horis, in *Caroli II. Regis* Liturgia præſcriptas, *Campanarum* quamplurium pulſu, quibus etiam *Conciones*, Defunctos, & alia deſignant Sacrificuli, ſeù Proteſtantes ii, ut Nos coram ſatis perſpeximus, advertentes in *Magna Britannia* preſertim ac *Batavia* in noſtris abditioribus templis, ea ſacra ſigna haud quaquam permiſſa.

Verum, Evulgato grandiorum *Tintinnabulorum* uſu, *Gallis* arriſit vox *Clocea*, vel potius *Cloche* apud *Nathanael Duez* in ſuo *Dictionar. fo.* nobis 177. unde *Clocarium*, *Campanarium*, barbarè tamen, & ſæculo prorsùs octavo, ut ex *D. Bonifacio Mogunt. Epiſc. ac. Mart. ep. 9. Cutbert.*

ad

*ad Lull. ep.* 89. *& Rudolph. in Vita S. Liobæ Abbatiſſæ* textus profert *Card. Bona c.* 22. *fol.* 176. *& ſeq.* De qua voce *Alcuin Poem.* 203.

*Semper in æternum faciat hæc Clocula tantum*
*Carmina, ſed reſonet nobis bona Clocca Cocorum.*

Eam tamen Germanicam putat *Durantius c.* 22; & forſan à *Cloggen* Saxonica, vel ab ipſa *Campanæ* ſignificatione in Germanico Idiomate, ut *Somnerus*, ex eoq. *Iacob. Burgoing. x. de Orig. & Uſu Vulgar Voc. pag.* 66. haurit, & à *Gallinarum* forſan *glocitu* per *Du-Freſne* multum in hoc *to.* 1. *pag.* 1027. *Gloſſar.* Italicamq. exiſtimat *P. Menochius nelle Stuore Centur.* 1. *cap.* 24. à ſtrepitu ſeù tinnitu, quem vulgò dicimus *Chioccare*, quod tamen nobis minimè arridet.

Quibus addimus ex abundanti æquivocum minoris *Tintinnabuli* nomen in *Cænobiis*, ubi *Corrigiuncula*, ſeu correctiva Diſciplina ſic fuit appellata. Adeſt in præcitato *Gloſſar. to.* 1. *pag.* 1233. Anonymi textus ille *Revelat.* lib. *cap.* 6. Quo *perveniens*

au-

*auditui, mox ſonitum Corrigiunculæ poſt me factum, à fratre illo à quo diſciplinas expectabam ſuſcipere. Relictis itaq. his quæ ibi videram, neſcio quali modo in capitulum confeſtim deveni, & poſt diſciplinas ut prius feceram, accepi ſex vicibus &c.*

Vides *Tintinnabulorum* ſynonima ac proceſſus apud *Chriſtianos*. De *Turcis* & Orientalibus modernis perquirendus ſupereſt uſus. Et quoad primos, certum eſt ipſos captâ per *Saladinum*, Aegiptiorum Regem, aut potius Tyrannum, *Hieroſolyma*, illa è Turribus ejeciſſe, adhibito poſtmodum ære ad bellica fundenda Tormenta. Sic ſcribunt *Genebrard. in Chron.* circa annum 1187. & *Platina in Urbani III. Vita*. Quæ, ſubrepto Græcorum Imperio, omninò abrogarunt, ſive ne eorum ſonitu aliquod Rebellionis daretur ſignum, ſive timore incuſſo, ne quiete qua frui putant, animæ per aerem palantes expolientur, cum fanatico ſpiritu Ethnicorum ac Gentilium ineptæ adhęreant Philoſophiæ, aut potius ex Chriſtianorum odio impla-

placabili: qua de cauſa, & *Horologia* cum rotis reſpuunt. Loco enim ænei pulſus, medio Præconum in Turribus ſuper Meſquitas, voce ſonora digitiſq. inſertis bina repetitione, ſingulis diebus quinquies repetũt *Allach Hechber*, ideſt *Deus verus unus*: quo audito, quilibet ad eas properat, horis quoq. ſæpe in die, mediaq. nocte indicatis. *Cuſpinian, de Turcar. Religione. Georgievitz de eorum Cærem. cap. 1. Iodoc. à Meggen. in Peregr. Hieroſ. cap. 16. Fuſc. de Viſitat. c. 4. 1. Gloſſ. in Clement. c. de Hæret. & Saracen.* aliiq. communiter. Et de vocis *Alla, Alla* ſolenni, miris, aſſuetiſque intervallis apud Muſulmanicos Sacerdotes nonnullos, intonatione *Keplerus* in ſua *Harmonia*. Hinc lepidè ex Italicis Muſis *Angel. Florentiola* nelle *Lodi delle Campane* cum ipſius Carminib. impreſs. *Florentiæ* anno 1549. fol. 124.

*Vedete hora in Turchia come uſan fare*
*Quei gran Baſcià, così faceva all' otta*
*La Gente tutta, e nõ credeva errare*

Nec

Nec permittunt *Chriſtianis*, qui ſub eorum ditione degunt, niſi ubi nulli ſimul *Turcæ*, vel ex ingenti auri erogatione acquiſio privilegio, ut ex *Anania* in *Mundi Fabrica trac.* 2. *fol.* 206. *Galganet.* de *Iu.publ.* 3. 62. 5. *Coccius to.* 2. 3. 6. *Nicol. in Floſcul. V. Turcæ fol.* 733. *Zanch. de Privil.* 41. 12. *aliiq.* Excipiũtur tamen *Regii Legati* in *Aula Coſtantinopolitana*, quibus Romano more, ad uſus privatos permiſſa *Campanula*, & nonnunquam *Tuba*. Nullo tamen modo in ſacris: quod paucis hinc annis *Chriſtaniſs. Regis* Oratori, *Tintinnabulum* in Turri ſupra ſacellum piè quidem elevare cupienti, firmiſſimè pernegatum. In templis ac ſacrificiis conſuetus ibi minoris *Tintinnabuli* pulſus; cum majora vel ablata, vel abdita, ut in ſubterraneo fornice jacent illa Patrum Minorum Conventualiũ *D. Franciſci*, & per ipſoſmet, quę pēdebant in excelſa Turri adhuc extante ſuper vetus ipſorum templum, reparatum, & Epiſcopalibus functionibus inſignitum. Hinc rariſſima in Orientali plaga *Tintinnabula*, quemad-

madmodum in *Monte Atho*, in quo cum *Horologiis* antiquiſſimis pulsātibus eadem forma qua apud nos, remanſerunt, & conſpiciuntur in triginta claris ibi Monaſteriis, ut Vir omnium numerorum *Leo Allatius* meminit in de *Templis Græcorum recentioribus* epiſ.1. *nu.*3. quæ inſcribitur Viro quoque ſummo, ex *Soc.Ieſu, Io: Morino.* edit.*Coloniæ* 1645.

De iniuſta quidē per impios Viros *Usbequii Tartarorum Imperatoris* ſubornatione, in prohibendo univerſim uſu *Tintinnabuli*, juſtaq; *Io: XXII.* Pontificis quærela *Olderic. Rainald.* ſcribit *Annal.Eccleſ.tom.*15. *ad Ann. Chriſti* 1318.*n.*3.*&ad An.*1323.*eod.n.*

Ligneo autem inſtrumento Sacerdotes *Græci* longo, malleo quoque ejuſdem materiæ tranſverberato, ictum gravem, acutum, & ad perfecte Muſices normam utuntur hodie pro ſuis in Eccleſiam convocandis. Ejus nomen *Symandirium*, vel potius *Xiroſymandrum* ad alterius diſcrimen, quod in Turribus Campanariis, magnitudinis quidem ingentis, ferreis catenis extremitatibus ſuis

ap-

appenditur. Etiam *Agioſymandrum*, cujus uſus admodum vetuſtus, uti *D. Anaſtaſii Martyris* jam enunciati Miraculorum liber *in 7. Synodo Act. 4.& S. German.* in *Theorem.* qui longitudinem narrat ad haſtam, Tubas denotans Angelicas in Iudicio. Ex *Cæſario* 1.4., *Macri* Fratres *in Hierolex.* fol.105. *Michael Pſell.* & *Pachymer.* 7.5.9. ex quibus *Id. Allatius* ſe referens ad *Gabriel. Sionitam* & *Io: Heſronitã in Tract. de nonnullis Oriental. Urbib.* poſt *Georg. Nubienſ. cap.6.* Diſcrepantibus iiſdem *Symandris* à *Vareis*, quæ laminarum ſunt pulſus graviſſimi, & verbum habet pernotũ *Euchologium* cum Notis ſelectis *P. Goar.* Apud eoſdẽ *Græcos ac Moſcos* in Turcarum Regionibus *Tintinnabula* deſcribit *Georg. Feblavius ad Enchirid. de Statu hod. Græcor. Chriſtoph. Angeli Græci* §.78.*litt. A.*

Sic in *Colchide* vulgo *Mingreliæ*, inſcii infælicesque Monaci ac Clerici, pro *Tintinnabulis* quibus pænitùs carent, fuſti axim cædunt, populum ad ſacrificia in ligneis calicibus advocantes. *Io: Sciardinus* Gallus in ſua

ſua Ephemeridi Itineraria anno 1673. refert.

De *Tintinnabulis* priſca ætate ſupra Templi portam elatis ſæpè loquitur idem *Georg. Pachymer.* qui *lib.* 7. ſuæ *Hiſt. Hoc eodem menſe* inquit, *poſt diem trigeſimum, cum adveſperaſceret, cunæ appoſitus Ioſeph tantum non demortuus, multis hic atque illic concomitantibus, & præeunti pompa applaudentibus, non ſine laudibus & ſtrepitu hominum, nec non Eccleſiæ Campanis, quæ populum advocare ſolebant reboantibus in Patriarchium reducitur. Qui autem ex Clero erant, vix veſpertinis ſejunctim abſolutis, cum matutinum adeſſet, & pro more in Eccleſiam conveniſſent, inſcanſum ſibi templum eſſe videbant, tanquam qui neque Campanis, neque Tintinnabulis fuiſſent Congregati.* Ubi *Campanas* diſtinguit à *Tintinnabulis*, ad minora vel majora inſtrumenta forſan reſpiciens. Breviùs verò *Michael Pſellus* Orat. dum ſcribebat *Allatius* inedita ad *Conſtantin. Monomacum*: *Sed nō omni ex parte delectaberis, nec in omnibus viſibilib. gaudebis; excitabit*

*bit enim te media nocte ſacrum Tintinnabulum, & ſacris incumbes pavimentis.* Hodiè ſuper deſcripta templi porta, fornix ac ſedilia ſunt conſtructa, ubi lamina pendula. Ejus pulſu homines convocari ad ſacra, tribus quidem ſignis Monachos, idem teſtatur *Allatius*, textum referens *Theodori Studitæ* in *Carminibus*, & *facili Canonarcho* ubi ſic ait: *Veluti Tuba percute tempore opportuno lignum ut oportet.*

*Saracenis* tamen ac *Aethiopibus Tintinnabula* quodamodo non deficiunt: primis quidem, apud ſacro tantum habitos Viros, vel potius hypocratis, qui eis ad *Urſum, vel Cervum* alligatis circumeundo ſtipem querunt *Nicol. Nicolai* memorante de *Moribus Gentium*. Quemadmodum ex noſtris Urbici Eremitæ manu deferunt, pulſantque. Ex Fama autem ac Gloria, Pictorum libito, ſiniſtra, *D. Antonii* Abbatis & Anachoretarũ Parentis parvulum appoſitum, ſic & melius philologicè ſymbolizante *P. Rainaudo Hagiol.* ex *fol.* 403. ſive *Oper. tom.* 8. Aethiopibus vero

ex

ex lapidea prorsùs materia ſunt excavata, nec ingrato ſono in propriis Templis, ut ex *Aluarez Ortelioq.* narrat *Majol. Canicular. Colloq.* 23. *fol.* 305. cui *D. Dominic. Macri* addit in *Hierolex. fol.* 105. teſtes ſibi fuiſſe obvios ex ejuſdem Nationis Alumnis in Collegio Urbis, de Fide per Orbem propaganda. Quem in *Lexici Univerſ. to.* 3. *Addit. fol.* 335. ſequitur *Hofmanus.*

*Sinenſes* aliique nonnulli extra Europæ confinia ad collum pendunt, pro *Amuletis* à PſeudoSacerdotibus accæptis, tanquam adverſus bellicos ictus ac lætalia vulnera præſervantibus Antidotis. Exemplar ab Evãgelii Precone *Soc. Ieſu, Illuſtriſs. Collegio Prapagandæ fidei* hoc Novembri 1692. exhibitum, & in *Academia Phyſico Mathem.* ut ſubiicimus Videnda quoque Italica Hiſtoria, & ſi non penitus fidelis De' *trè Regnì*, *Congo*, *Matamba*, & *Angola* del *P. Gio: Ant. Cavazzi da Montecuccolo Capuccino* 2.45 *fo.* 217. *Bononiæ* 1687. Ex eodem Religioſiſſimo *Patrum Capuccinorum* Ordine *FF. Michael* *An-*

Digitized by Google

*Angelus Rhegienſis*, ac *Dionyſius Placentinus* ad *Congum Miſſionarii*, in ipſorum Itinere Venetiis 1679. prodito *fol.* 117. *in* 12. referunt Patricios Viros eorumque filios bina manibus geſtare ferrea minora *Tintinnabula*, velut brutali collo pendentia, quæ viciſſim ad ſeſe exilarandos parvo baculo percutiunt.

At in Regno *Siam* non incelebri ſuperſtitioſi Monaci, ſeu *Talapoini*, ad *Tintinnabulum* oriente ſole ſurguut, precesſque quas ſacras putant, fundunt, id narrante *D. Equite de Chaumont* Chriſtianiſs. Regis in illa Aula anno 1687. Oratore.

Noſtris *Tintinnabulis*, à *Venetis* potiſſimùm comparatis, à quibus unũ non hinc longè fractum, fuit rursùs fuſum, pulſare conſueſcunt, in ſacro ac celebri *Montis Libani* templo, *Sanctæ Mariæ* de *Canubino* (ſive Cænobio) *Maronitæ*, Divi *Antonii Abbatis* regulas ſolidè profitentes, atque cum *Antiocheno Patriarcha* piiſſimè operantes. De quo nos humaniter monuit *D. Fauſtus Naironius Chaldaicæ Linguæ* cultiſſimus præceptor

in

in Romana Univerſitate; publicæque *Alexandrinæ* ibidem *Bibliothecæ* fidiſſimus Cuſtos. At, ab Erudito *D. Blaſio Tertio, Eminentiſs. Cardinalis Brancati* de *Lauræa* Auditore, accurata *Soriæ Sacræ* cum Urbium Iconiſmis Deſcriptio fertur proditura.

## CAPUT III.

### *Multiplex Artificium ac Vir.*

AD eximiam *Tintinnabuli* vim ac præſtantiam, iuxtà conſuetam Artis methodum Opificis induſtriam ac materiam plurimum conferre certum eſt. Hęc *Aeris, Stamni, Plumbique* præſertim; nonnihil *Argenti*. Gravem efficit ſonum, parum *Aeris, Plumbo Stamnoque* excedente: Acutum *Aere* ſuperante. *Argentum* oblectãtis cauſa eſt *Harmoniæ*. Conſilium ideoque capiendum in hoc ex *Vannocii Beringucii* Senenſis *Tintinnabulorum* Artificis *Pyrothecnia*; Ex qua diſcimus, ad ſoni magnitudinem ac ſuavitatem, materiam formamq;

con-

Digitized by Google

conducere, quia non magnus nec ingratus eſt ſonus humilioris latioriſq; *Petaſi*, vel *Galeri*, aut *Lebetis*: obtuſus longioris, duplici oris diametro altitudine conſtante, aut paulo breviori menſura, Pyri longioris effigiem forma emulante. Sic experti ſunt Moderni, cum accederet ad *Galerum* magis quam *Pomum* forma vetus, & idcircò parum ſonora, imò rauca ac tenujora *Tintinnabula*.

Imò, & diverſitas formæ *Rabbinis* jampridem agnita, inſtar fortaſſe *Lebetis*, vel *Phialæ*. Voceque hebræa *Metsllub*, dualique numero *Tintinnabula* hinc demonſtrata per ſacrum textum *Zach.* 14. 20. & priùs aliquo modò *Nahum* 2.10. diſcimus eo verbo ex *Io: Buxtorfio in Lexico Hebr. & Chaldaico*.

Præ multis vero, in Mathematicis rationibus inſtructus vetus amicus *P. Athanas.* Kircherius, curioſiſſimæ quidem ſuæ *Muſurgiæ* 1.6.2. poſtquā principem locum inter Inſtrumenta pulſatilia, ſive ex ſoni vehementia, ſive amænitate obtinere hoc Inſtrumentum aſſruit; Ad *Aeris* mixturam ſo-

ſolidè progrediens, quoſcumque dicit melioris notę Artifices illud fundendo, tres, quatuor, vel quinque *Cupri* fini vel *Aeris* partes, unamque ſupra *Anglici Stamni* adhibere: quod ſi quis ex hoc libras viginti ſupra centum *Cupri*, *Tintinnabula* inſigniter crepera efficere: præcedentem mixturam tamen excellentiorem inventam ad ſonum. At, Experientiæ rerum cunctarum magiſtræ, negotiũ totum committendum prædicat, varias pro varia magnitudines expeti demonſtranti: etiam ſi *Horologiopæi* tertiam *Stamni* ſuper decimam *Cupri* partem, libram ſcilicet pondo, maximæ ſonoritatis gratia, fundẽdo adiiciant. Puroque *Argento* nonnihil, *Cupri*, *Stamni* aut *Aeris* accedere oportere Vir tantus cenſet; incredibile putans non pauca Germaniæ *Tintinnabula*, quæ ex illo fuſa proferunt, abſque alia mixtura clariſſimum, limpidiſſimumque ſonum præſtare potuiſſe.

Quo ad formam præterea, fundamentum *Italis* eſſe notat ora extima, ſeu partem illam quæ *Malleo* vel



Digitized by Google

*Lingua* verberatur, ut craſſior ſit cæteris ad ictus tolerandos: quæ craſſities repetita in lineam rectam, veluti ſcalam, ſit aliquoties; maxima ad minimam latitudinem proportione dupla ſervata. Apud *Gallos* autem *Germanoſq.* limbi majoris craſſitiem ut plurimum altitudinis duodecuplã ad craſſitiem: ſuis tamen explorationibus, quas tradit, haud negans fallaces quandoque, & non tam Geometricis idcircò rationibus, quàm praxi confirmandas. Quorum dimenſiones, ac figuras egregiè profert. Nos conſultò relinquimus, ne actum agamus quoad prima: Figuræ verò ferè ubique nunc ſimiles, ſatis patent, & à vulgo *Hiſpanico* (apud quos etiam longiora) dicta *Romana*.

At notandum, quoad conſuetum *Tintinnabuli* Manubrium, cũ eandem potentię moventis non ſervet ſemper diſtantiam, ut in majoribus æqualitas ſervetur, ſimplicis Manubrii ſeu Vectis loco Rota ſolet adhiberi, vel arcuatum illud circa centrum motus formari, ita ut ab eodem centro funis ſemper æqualiter diſtet cum inclu-

cluſione intra canaliculum. Sic è *Soc. Ieſu* P. *Franciſc. Eſchinardus* in Romano Collegio Matheſeos Profeſſor *in de Impetu nu.* 157. *&* *ſeq.* qui figuratas exhibet 6. 2. Tabulas: ubi quod plurimorum error in verticis onere, gravi ſcilicet corpore, veluti plumbo. Prius ipſe in Italico lib. ſeu *Ragguagli* ſcitè obſervaverat, nō cunctas *Tintinnabuli* partes ad ſonū æqualiter concurrere, ac formaliter, ſed labrum præcipuè, idque craſſius fiendum; imo ſi ob indiſcretam percuſſionem, rimarum fuerit inventum eo caſu aliquatenus demendum fore.

De *Lingua* vel *Malleo* vulgò *Batocco*, ò *Battaglio*, fortibus ligato corrigiis, ac nonnunquam mutatis, tantam proportionem addit neceſſariā, ut minor æquo imperfectiſſimum ſonum producat, major periculo ſit, ne impetus ac incidens pondus vi ſua *Tintinnabulum* findat. Fuſoribus idcirco, Ferro ſemper adhibito, proportiones ad illius pondus habendę, nonnullis regulis quas ex ingenio preſcribit.



Digitized by Google

Verum quia eadem lingua æris motum perfectè minimè ſequitur, cũ ex ſua mobili alligatione & quaſi fluiditate ad illud varia percuſſione moveatur; alligationem facilè mobilem procurandam, in quo nonnunquam peccari, monet *Id. P. Eſchinardus tract.* 1. *ſect.* 3. *nu.* 26. Cavendum autem, ne *Aere* ex ſonitu calefacto Lana preſertim tunc temporis attingatur; *Tintinnabulum enim frangitur.*

Pro majori quoque intelligentia *Problemata* laudato loco ab ipſo *Kircherio* expoſita. Primo Syſtema Campatium ſeu certam quandam *Tintinnabulorum* congeriem juxtà muſicas proportiones, ut ea ſecundũ Abaci leges pulſata, datam harmoniam reddant. Secundo *Tintinnabulorum* proportiones, eorum per craſſitiem determinare. Ex quibus duplex Regula profluxa. Prima ſcilicet Duorum tono majori diſtantium craſſitie, & pondere minoris dato, alterius cujuſcumque pondus reperire. Altera, Craſſitie limbi *Tintinnabuli* biſcentum libras pendentis data, alterius *Tintinnabuli*

craſ-

Digitized by Google

craſſitiem reperire. Problematicè rurſùs Primo, Craſſitie data, diametrum *Tintinnabuli* cujuſvis ſeu, quod perindè, latitudinem altitudinemq; invenire. Secundo Differentiam in ſonis æqualium ex diverſis metallis conflatorum reperire: ubi de plurimis ac celebribus, Inſignis *Mechanicarum* Profeſſoris, Nariſque emunctæ Sacræ *Geneſeos* Interpretis, ex Venerabili *Minimorum* Ordine, apud Gallos, *Marini Marſennii. Harmonicis*, quæ laudantur: *Romanis* tamen Muſicis tonis minime cohærere obſervat.

Uniſoni cauſa, circa ſacellum in Eccleſia quadam cereis Statuis quam pluribus loco alto diſpoſitis pulſu *Tintinnabuli* immotis reliquis unam tremere *Hier. Fracaſtorius* 13. *cap. lib. de Sympath. & Antipath.* ſcribit. Quod *Marſennius* in ſua *Harmonia* de Organo refert Pariſienſi *PP. Frãciſcanorum*, cujus ſono templi pavimentum circa diametri finem ita concutitur, ut ne terra dehiſcat fermè vereamur, alibique minimè ſentitur. Mirabilis certe virtus harmo-

nici ſoni ad homines movendos ac feras. Cujus experientiæ apud *Corn. Agrippam* 2. 24. *Philoſ. Occultæ*. *Io: Bapt. Porta Magiæ Natural.* 20. 7. *Kirker.* ibid. *lib.* 9. *Mendozza Viridar.* 4. 24. *alioſq.*

Negocium nihilominus ex Analogia in *Tintinnabulo* requiſita, ejus Artificii lubriciſſimum, atque ab infinitis ac minimis circumſtantiis pēdens pro exacta rei notitia; cum Fuſionis inæqualitas, Metallorum impar bonitas, Fuſionis etiam ratio, circumſtans Aer ex Zonarum diverſitate, Rerumque mixtura, in corporibus æqualibus alterationis in ſono plurimum valeant. Sic à *fol.* 518. ad 528. ejuſd. *Muſurgiæ*, ſeu *Artis Magnæ Conſoni ac Diſſoni P.* Kircherius. Vide fundamenta incongrua apud *Io: Bapt. Donium* in de *Muſicæ Veteris præſtantia.*

Quę pro hujuſmodi Eccleſię Richmis præcepta ſervaſſe non dubitamus *D. Gildam Tintinnabulorum* fuſorem: cujus pia ſacraque memoria in *Brabantia* præſertim viceſimanona Ianuarii ex *P. Phil. Ferrario* in

*Ca-*

*Catalogo novo Sanctor.* & *P. Rainaudo Hagiol. fol.* 569. Nil faciẽs ad *Hemerolog. Sac. Rom. Chriſt. Ethnicæq.* Italicè exaratam anno 1690. à *D. Abb. Car. Bartol. Platea.*

Excelluit deindè in *Tintinnabulariis machinis*, ad ſonum gratiſſimum antè horas premittendum, Artificium quarum egregius in *Zutphania* Batavorum Provincia opifex non longè hinc *Franciſcus Hemony* Lotharingus. Earum fuſio tota, in ſumma quoque proportione habenda, ita ut diameter ſive latitudo quindecim, altitudo vero duodecim ut eſt moris, ſive utraque minus una, ſemper craſſitiei ac latitudinis proportio, quo modo ſuavem & concinnam reſonãtiam cauſat. Puritas ac ſinceritas Metallorum requiſita non ſufficit; verùm tali proportione *Tintinnabulum* confectum eſſe debet, ut inde tres octavæ, duæq. quintæ, tertia major, ac tertia minor percipi queant. Ex quibus Tonis, capitalis unus, vel altiſſimus earumdem octavarum, clariuſque audiendus, cæteris accidentalibus vocandis prædominans



Digitized by Google

Omnia rursùs *Tintinnabula*, mutua interſe perfectaque conſonantia fulcienda: qua in re non pauci laborarunt fruſtra. Ex perfectione itaque cujuslibet, perfecta, ſimilique conſonantia gratiſſimus oritur ſonus. Ita magiſtrali docet methodo præfatus *Hemony*, in Litteris ad eundem *P. Kircherium* ipſamet *Zutphanię* Urbe 21. *Feb.* 1653. *Coloniaque Ubiorum* à *Rev.P. Bouſh* miſsis, ac latinè verſis apud *P. Caſp. Schottum Univerſ. Magiæ to.2.p.2.lib.6. cap.2.fol.*358.

Fatetur equidem idem Opifex ingenuè, quamplures hujuſmodi per univerſum *Belgium* haud ſibi ſatisfacientes vidiſſe ac audiviſſe Machinas ex diſproportione cujuſvis *Tintinnabuli*, ſecum, & cum aliis ingratam reddente harmoniam: Et, quanquam unum commendabile, parum juvans. Quia verò haud poſsibilis exacta in fuſione proportio, conſueverat deinde materiam fuſam tornare, & uſque ad ſignum debitum diminuere: quod etiam difficile, ideoque fugiendus error in fuſione, cum *Aeris* copia, puro metallo adhibito, congruaque li-

nea-

neamẽtorum proportione. Hi ipſiuſmet termini.

Quibus, mutuæ proportionis explicatio addenda, aliorum inſtar Muſicæ Artis inſtrumentorum, ita ut Octava ſeſe habeat ſecundę ad primam: Quinta Tertię ad ſecundam. Quarta quartæ ad tertiam. Tertia major quinta ad quartam, & ſic deinceps. Quæ proportiones ex Inſtrumenti ſemper Temperie. Adeſt *Pyrotechniæ* rarus, alius anonymus Auctor de *Tintinnabulis*, *Bellicis Tormentis* ac ſimilibus fundendis, quem cum *Benvenuto Cellino* prodeſſet pervolvere.

Nonnullarum *Campanarum* ſpecies exemplaque à ſe confectarum, pondere ac præciis additis curioſè idem *Franciſc. Hemony* refert, quemadmodum de *Zutphanienſi* anno 1645. *Daventriẽſi* 1648. prima vigintiſex, altera una minus *Tintinnabulorum*: *Enkhuſana* quoque vigintiſex 1649. quindecim *Sylvaducenſi* pro Senatoria domo 1660. *Ultrajectina* D. *Iacobi Templo* ac vigintiquinque anno 1651. pro Domo publica Mer-



Digitized by Google

catoria,ſeu *Amſtelodami Burſa*,vigin-ti,anno 1653.Aliam perfectè conſo-nam,temperatam,ac ſuaviſonam *Co-loniæ* diſtrahendã paraverat. Et quæ-libet ad harmoniam pro horis ac quadrãtibus*Horologii*,tanquã inſtru-mentum quodvis manu pulſatum, exactam, pluribuſque cantilenis ad libitum mutandam. Nihil amplius *P.Sebottus* diligens Cõpilator.; ſatis enim hæc pro Artificio, quod bene ſic procedere; Nos quoque Provin-cias peragrantes vidimus atq; audi-vimus,ut melius infra & *cap. quinto*.

De *Tintinnabulorum* materia vi-dendus eſt etiam *Laur.Beyerlinch*. in Magno *Vitæ humanæ Theatro* fol.58 *litt.C. vol.2*.Et de Magnitudine *litt. B.vol.1*.Qui primo loco *Argenti* põ-dus quoddam excellentioribus, ut *melius* ac ſonorius audiantur, adii-ciendum ſignificat. Abſolutè ex Ar-gento ſubtilem nimis reddunt ſonũ, aptumque privatis ædibus,vel mino-ribus ſacellis.

Quod nequicquam prophanum ſit in iis inſculptum vel inſcriptum, ſed pia verba ac ſymbola, Patroniq;

Ec-

Eccleſiæ vel aliorum Sanctorum Imagines, monet 26. *cap. Roccha*, & Pontificii Iuris *Doctores* communiter tradunt.

Narrat *Magius* cap. 17. Felſinæ ſeu *Bononiæ* in Italia in Aede Archiepiſcopali ſe vidiſſe tria *Tintinnabula* argentea ſic elaborata, ut Muſicos emitterent concentus cum à Sacerdotibus in cantandi Arte peritis ad ſonum moverentur. Loquitur profecto de minoribus quæ non proſtāt in Turribus. Nos autem *Harlemii*, Batavorum in Urbe præclara, & vidimus & audivimus jucundiſsimè grandiora argentea in ſummi templi Campanario ex Orientalibus *Damiatæ* ſpoliis, veluti pompa triumphali perducta.

De *Auri* portione, non verò mixtura apud fidiſsimum Hiſtoricum *Anaſtaſium* eſt mentio in *Leone IV.* ibi: *Fecit etiam ipſum Campanile, & poſuit Campanam cum malleo aureo.* Id contigit ex *Blondo* 1. *Romæ Inſtauratæ* anno Chriſti 850. ubi fatetur eam turrim in Orbe primam, de qua *Ciaccon.* anno 810: nocte ta-



Digitized by Google

men *D.* Petri ſubſequuta 1303. invida ſorte in faſtigiis, igne devaſtatam.

*Ferrea* mittimus non pauca ex *Zeiller. ep. 23. Marineo Siculo Rer. Hiſpan. 8. & Majoli colloq.* 23. ſuperiori cap. laudato: ex quo & ære plurima lectitaſſe *P. Kircher.* ubi ſupra *fol.* 520 affirmat. Et de *Ligneis* variæ formæ apud multos populos adhibitis, non certè *Zylorganicis.*

*Figulina* cum ligneo piſtillo organi loco, ad concentum muſicum apud inſcios Belgas. *Laur. Beyerl.* Quemadmodum *Lapidea*, Africanis populis conſueta iiſque maximè, qui *Regi* parēt *Preſtigiani* & more Chriſtiano ad templorum uſum; ſcribente abſque ullius prorſus Auctoris nomine, *Henr. Salmuth ad Pancirol. Memorab.* 2. 9. *fol.* 160. & *Alvar.* 29. 44. Que forſan in *Teſtaceis* imitantur *Patres Capuccini.*

At, ni longius evagemur, ex præceptis quidem traditis, concors admodum, ac jucundus *Tintinnabulorũ* ſonus Romæ in Parthenone ſacro *D. Catarinæ*, vulgò *ad Funarios*, ubi plura numero; proportionata magnitu-

Digitized by Google

tudine, mixturaque *Argenti* non modica. Quorum pulſu mirabiliter oblectatur Aula ipſa, ac *Eminentiſſimum S. R. E. Cardinalium Collegium*, cum 25. Novembris in feſto ſolemni ad ſacrum beneficentiſſimè accedit. Suaviſſimum & in *D. Catharinæ* venerabili *Cæleſtinorum* templo apud *Locrenſes* vel *Calabros*.

Scimus tamen & audivimus, artificio primum apud *Aloſtanos*, per hominem parum ſani cerebri invento anno 1481. ut ex *Ortelii* Diario *Grammaye cap.* 3. miros *Tintinnabulorum* in Belgio concentus, *Leodii* præſertim *Eburonum* ad Horæ cujuſq. ac quadrantis tempus deſignandum in *D. Lamberti* Baſilica inſigni, in qua octo numero majora, & ultra quadraginta minora: ibique ad *Sancti Pauli* Canonicorum Collegium, ubi ex iis numero viginti quatuor, manibus ac pedibus pulſanda, atque ad Muſices aptiſſima. Sic nuper in excelſa Conſularis Palatii vel Prætorii *Amſtelodamenſis* Turri, quadraginta circiter non parva *Tintinnabula* horarum tinnitus præveniunt, ad

Digitized by Google

ad quæ nos ipſi, amæniſſimo in Urbis Portu ac Proſcenio, manibus luſimus. *Mechliniæ Horologium* ſimile non contemnendum, cujus æs valet quoque ad publicos vocandos conventus. De *Antuerpienſi* ſcribit *Georg. Braunius Civitat. tom. 5. fol. 27. Turris miræ altitudinis & Trigintatres Campanæ*. Cum minoribus verò, ac prægrandi, maximique ponderis *Caroli V.*, ad ſexaginta octo enumerãt, *Guicciard. in Hiſt. Grammaye* in *Diar. Hiſt. 3.* & *Scribanius* videndus in *Origin. Antuerp. cap. 14.*

Similiaque *Braunius* de *Argẽtorato* ac aliis illuſtribus in Imperio Romano Germanico, Urbibus. *Cardanus* autem de *Rer. Variet. cap. 58.* tamquam teſtis ocularis: *in Belgica* inquit, *Nolæ plurimæ in circuitu poſitæ ſuper Turri, ut fieri ſolet, vocum Muſicarum ſonis proportionem obtinent. Adeunt gnari Artis, & tangentes ſingulas pro notis deſcriptas, cantilenam pulſant admiratione prorsùs dignam, quam jucundam auditu; Nam Nolæ non retinent vocem, ſed cum ictu ſtatim deſinit. Idem Lovanii Antuerpiæque*

*fit.*

*ſit. Transferri etiam poteſt ad Urceos aliaque vaſa. Si dicas quis uſus harum Nolarum? Ut tota Civitas audiat Muſicam: quod commodum non eſt exiguum.* Si ſupereſſet in preſens *Cardanus*, materiam non parum augere valeret: quam fæcundus ęmulare poſſet *Scaligeri* calamus. Sonus utique hujus Aeris ſemper tanti factus, ut inde humanis Adagium Auribus, ita quod in ſubſurdis *craſſa* culpemus *Tintinnabula*, ſed nimis translatè.

In magnitudine quoque præclara ſeſe offerunt *Tintinnabula*. Quatuor majora *Vaticanæ Baſilicæ*, cum inſcriptionibus adfert *P. Rocca* 12. *cap. fol.* 90. *ac* 91: in quorum minori legitur *Mentem ſanctam, ſpontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem: Ave Maria gratia plena Dominus tecum, & Benedictus fructus Ventris tui.* Quæ verba, non multum laborans *P. D. Gabriel Flamma* i *de Vit. Sanctor.* de *Diva Agatha* interpretatur.

In admirabili *Hiſpalenſi* Urbe, valdè ſonora, ex eminenti aptoque ad Lecticam, & vehiculum *Campa-*

na-

Digitized by Google

*nario* auditur triginta tribus *Tintinnabulis* harmonia. *Granatenſia* quoque ad Regale Templum ac Mauſoleum, laudantur Aera: nec alia ſpernenda; Quanquam in *Hiſpania* rarus numerus leveque ſit pondus; unde *Matriti* & alibi in ſonitu, ad ligneam ſemirotam, quaſi vertantur.

Ad majoris *Toletani* umbram ſeptem adlaborāt Sutores, vel Calceolarii. Ex quatuordecim numero maximum in Urbe *Valliſoleti* ſexdecim Italicis milliaribus procul auditum. *Salamantinum* apud *Clericos Minores in D. Caroli*, brachium expetens ſex Virorum, nunc fractum jacet. In Divæ autem *Mariæ de Rupe* Urbis *Calatajud* quod contra fulmina validiſsimum, miraculoſæ *Beatæ Virginis* Imaginis, adverſus *Maurorum* rabiem, diù ſubterraneū fuit operculū.

*Auguſtæ Pariſiorum*, ex *Merula* 2. 3. 21., in Cathedrali *Dei Matris* Eccleſia *Campana maxima, cui à Maria Virgine cognomen*, *viginti viros flagitat pulſanda, ſonitu ſereno Cælo, per ſeptem leucas audito*. Cuius diametrum ſeptem cum dimidio pe-

dum.

Digitized by Google

dum. Nos ipſi menſi ſumus.

Idemque de *Rothomagenſi*, in templo quoque *Divæ Mariæ*, altiſſimaq; Turri, *Campana* Galliæ totius maxima, ad triginta ſex millium librarum pondus, in qua ſic legitur, ex aliis perbellè.

*Ie ſuis nommeè George d' Amboiſe*
*Qui plus que trente ſix mil poiſe*
*Et ſi quis bien me poyſerà*
*Quarante mil y trouverà.*

De *Rhedonenſi* diametro novem pedum, *Turonenſi D. Martini*, viginti quinque millium librarum. *Narbonenſi* in Divi *Iuſti* duplici Turri, ubi quotidianus ac feſtivus concentus. *Lugdunenſi* in *D. Io*: Turri temploque viginti octo millium, aliiſque diligẽs apud *P. Marinum Marsēnium* mẽtio.

Ipſius *Georgii S. R. E. Cardinalis*, in Francia Legati, ibique Archipreſulis, extat in eo templo tumulus, cujus inter viginti verſus, hi

*Gallio marmoreus, Campana, aurataq; tecta*
*Expreſſi quædam ſigna doloris habent*

Eſt Eximium, *Avenionenſe*, quod

to-

totum argenteum fertur, Pontificem-que mortuum indicit. Ex Turris perforata ſummitate puer delapſus in fruſtillaque fractus, a *Petro Lutzeburgio reſtitutus*. *Abrah. Golnitz.* tradit in Ulyſſe *Belgico Gall. pag.* 444. qui de *Tholoſana*, utpotè quæ ullibi videatur maxima, nomine *Cardeillac*, ad quingentos centenarios, quorum ſinguli centum & quatuor libris cõſtant, ſpithamarum latitudinis duodecim, trigintaſex ambitus. *Pag.* 572.

De *Fuldenſi* in Franconia *Tintinnabulo*, in qua Urbe ex Nobilibus in Imperio *Divi Benedicti*, Abbas, *Auguſtæ* agit *Archicancellarium*, quemadmodum *P. Bucelinus in Germ. Sac. Hermes in Faſcic. Iur. pub. Goldaſtus*, aliique alibi plenè deſcribunt. In ea igitur à *Io: Merlavv* Abbate, jam quinquageſimoſeſto, in Turri elato, videndus *Chriſtoph. Brouverius Fuldenſ. Antiquit. lib.* 4. *fol.* 325. *in fi.* & 327. ubi hæc *Multa denique Pietatis opera à Io: profecta in ornamenti Eccleſiæ & Baſilicæ inſtrumento extare reperio. Cenſeas in his ingentis o ni & ponderis Aeramčtum, cui nomẽ*

OSAN-

*OSANNA* dedit, inter Campanas omnium certè præſtantiſſimam. Ejus Epigraphe rithmis propè ſignata; caracteribus tamen majuſculis.

*Annis biſduo C. millenis quinque triginta*
*De Merlavv Primas Ioannes contulit hoc vas.*
*Quem ſalvet Chriſtus Bonifacius & Benedictus*
*Simplicius, Fauſtinus, Proceſſus, Martinianus*
*Deſtrue tonitrua, in Fulgura, Stella Maria*
*Cum Sancto ſturmi, quoties pulſatur, Oſanna.*

Vetuſtum ſed vulgaris formæ duplex eſt *Tintinnabulum* in *D. Mariæ* vulgo *Scalenſis* Turri *Viennæ Auſtriæ* ubi tamen in medio, ſive *Horario*, legitur latinè *Caſpar, Mattheus, Lucas, Marcus, Ioannes, Matthias, Rex Ieſu Chriſte veni cum pace*: In minori, Gothicis quidem caracteribus, *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*. At in ſummi templi *D. Stephani* Campanaria Turri nondum abſoluta, & in præcipui *Tintinnabuli* ex-

Digitized by Google

externa peripheria hæc adſunt inſculpta verba. *Anno à nato Salvatore Domino noſtro Ieſu Chriſto* 1558. *Imperãte fæliciter Domino noſtro Ferdinando Primo Romanorum Imper. Cæſ. Aug. Senatus Populuſq. Viennenſis hanc Campanam reficiendam curavit, Georgio Pranſtetero Conſule, Hulderico Hein templi Curatore*. Inferius, in quadrali loculo, Cervi, & Canum figuræ, cum nonnullis Germanicis verbis, quæ tranſcripta referre fuit in votis. Peculiaris profectò in eodem *Tintinnabulo* eſt *Malleus*, quem præſtat oculis ſubiicere. E labro enim ad octo palmos elato eſt nimium protenſus.

*Erfordienſe* præclarum eſt in *Turingia* ac per univerſam *Germaniam*: apud *Ortelium*. Imò, juxta nonnullos, in toto Orbe. Majus ſcilicet quatuor præſtans minoribus in ſummo *B.V.* Templo, ſono quidem, elegantia formę, artificioque. Ejus Opifex profectò eximius *Gerardus Vnoù de Campis* anno 1497: cujus nomen inciſum, hiſque ibi verbis *Laudo Partonos, cano glorioſa, fulgur arcens, &*

*Dæ-*

*Dæmones malignos, ſacra templis à populo ſonanda carmine pulſo.* Princeps *Eminentiſs. Elector Moguntinus* uti Dominus, aliique Principes vicini Primates ac Cives impenſas cōtulere. In ſuperioris partis parergis Lilia, inferioris folia quercina duodecim circulis præſefert. Pondus ad ducenta quinquaginta duo centenaria! Craſſities ſeſquiquadrantis Ulnæ: altitudo quinque Ulnarū: Diameter quatuor continet Ulnas cū dimidia. A vigintiquatuor hominibus compulſatur, præter alios binos linguam impellentes, cujus altitudo ulnarum quatuor, craſſities in ima parte ulnæ unius & duplicis tertii. Vox *Gothæ* & *VVenariæ* tribus Germanis Leucis vento delata: pulſus verò pluribus Imperialibus ita dictis monetis, ſeu *Pezze da otto*, penſus. Ita ex *Vrbano Heun* ejuſdem Collegiatæ Decano, Principiſque Sigillifero, Viro Illuſtri, *P. Kircherius* ubi ſupra *pag.* 522. *& ſeq.*

Multiplex, ac mirabilis quo ad ſonum craſſitiemque *Tintinnabulorum* numerus, quem ſæpe inviſimus in



Digitized by Google

D. Petri maximo Archiepiſcopali Agrippinenſi templo.

Scriptores tamen Galli, Kircherium alioſque Germanos notãt, quod Rhodienſe, Lugdunenſe, Pariſienſe, ac Rothomagenſe, veluti parum minora Erfordienſi, minime perpenderint.

Celeberrimum quoque (ut calamo Italiam Nobis patriam paululum percurramus) in D. Bartholomæi Cœnobio Ferrarienſi Tintinnabulum, vulgo Sperone, ex aureis gemmatiſq; Comitiſſæ inſignis Viraginis Mathildis calcaribus ſibi detractis, ne raucisonum vetus, ex impotentia Monachorum, amplius audiretur; Calcari enim aureo, devexo æri cælato, Munificentia (Ughellio teſte Ital. Sac. to. 2. pag. 516.) erga pauperem Abbatem, verſiculis iis patet inſculptis.

*Nola hæc Mathildis ære, quam fudit faber.*
*Calcari aureo muneri dato, vocat*
*Fratres, ut Orbis concinat laudes Patri*
*Tergo ſonanti calcar impreſſũ gerit*
*Donique munerique par veſtigium.*

Bo-

*Bononienſi* in Prætorio eximium extare *Tintinnabulum*, cujus circumferentia duobus ac viginti conſtat majoribus palmis, quatuordecim, & amplius altitudo, uno verò craſſities. *Rocca* ubi ſupra *fol.* 53.

*Parmenſe*, *Mediolanenſe*, *Lauretanum* plurimis præſtant in Italia. De quorum poſtremo hęc facunda P. *Torſellini* Hiſtoria 2. 14. *Campanæ duæ eximia magnitudine ac ſpecie fuſæ, Turris Campanariæ fundamenta jacta, Iulii II. opera ſunt.* Ibidemque 21. *Leo X. perfectis Lauretis munimentis, Campanam raræ magnitudinis fundendam curavit, viginti millium pondo, eamque Lauretum oppidi nomine appellavit.* Sic *Neapoli* in Aede Regia Archiepiſcopali: in majoris *Carmeli*, ac ponderoſius *Divæ Mariæ Annunciatæ*: apud *Clariſſas*, *Carthuſiæ*, *Patreſque Societatis* multiplex & ad ſonorum, gratumque ſonum: Archiepiſcopalia eadem, ex ænei equi pervetuſto Urbis ſymbolo, cujus caput in egregio *Caraſenſium* Principum ſubeſt palatio, mirè conflata. Cuncta vero Neapolitana,

non

Digitized by Google

non ante duodecimum Sæculum.

Inter ejuſdem tamen Urbis vetuſtiora *Tintinnabula* illud eſt, quod apud pręnobiles *D. Benedicti* Moniales, ad *D. Marcellini*, propè antiquum pomærium his verbis hoſtium tranſitus advertiſſe docet: *Mentem ſanctam, ſpontaneam hanc bonora Deo ✝ & Patriæ Liberationi. Quæ pro Urbis munitione ✝ Turcharum timore fuſa fuit anno* 1.5.3. *Civitatis impenſa refecta eſt* ¦ 1.54.

Ex alio latere

*Turcarum timore fuſa. Quæ pro Urbis munitione Civitatis impenſa refecta eſt* ¦ 5.4.

*Fuit anno.* 1.5.3.

Refert Amicus ingenuus *D. Carol. Celanus* Archiepiſcopalis Tēpli Canonicus Italicè ac noviſſimè *nelle Notitie di Napoli. Giornata* 3. *fol.* 240 Plura tamen ibi ſuperſunt declarandarde quibus alibi Nos haud ieiunè.

Verum in eodem Regno jampridē *Sipontinum* monſtruoſi ponderis miraculique apud exteros *Manfredi* munus teſte *Fazell.* 8.3. *fol.* 455. votiva Regis *Caroli Primi* erga *D. Nicolaum*

Digitized by Google

*laum* largitate *Barium* tranſuectum; Hunc autem *Averſanum* vulgo *Scarana* in *D. Pauli* ſummo templo. *Caſertanum* maximum, pluriſque forſan cæteris factum: in prefati *P. Ughellii* Commentariis haud ineruditis, *Io: Acreſta* opus urgente conflatum, de quo *vidend. to. 6. Ital. Sacr. fol. 657. nu. 23. litt. C.*

Ad *S. Antimum* in *Averſana* Diœceſi ex grandioribus ante duo Secula *Tintinnabulum* pēdere audivimus. *Liciense Lupiæ* præcipuum *D. Orontii*, aliaque alibi celebria.

*Catanenſe* apud *Siculos* Terræmotu infractum, ex quatuor minoribus in Cathedrali, viginti eſt millium librarū: cujus tinnitus ad milliaria undeviginti auditus. Nos lapsū vidimus.

*Indiani* vero, ac Orientalis in Regno *Pegu Tintinnabuli* ex ære, ad palmos ultra quadraginta quinque patentis, diametro ſeptendecim, fides penes præclarum *Ferdinand. Mendez Ieſuitarum* Hiſtoriographum.

At, in ampliſſimi *Sinarum* Imperii Metropoli *Pe-kim* Regiiſque ædibus *Tintinnabulum* ſane admirabile, præ



Digitized by Google

*Erfordienſi* & quocumq; univerſi Orbis; Monarcha ejus ditionis *Chim* cumandante, anno 1404.fuſum, cum quinque aliis ex ſeptem hodiernis, quorum cujuſvis centum ac viginti millium pondus: unum verò *Sinenſibus* characteribus, tanquam pluma, nitidè exaratum. Primi ſonitus extra remotiora ſuburbia optimè auditur. Vidit ſenſitque è *Soc.Ieſu* ſacris Miſſionibus deſignatus *P. Gabriel Maguillans*: cujus Relatio Luſitano idiomate anno 1668. prodiit, poſtmodum Gallico 1688. cum notis in 4. evincens profectò *P.* *Kircherii* fidem ex lubrico aliorum teſtimonio in ſua *Cina illuſtrata*. Videndus quoque pro aliis nuperis *Tintinnabulis* P. *Franciſcus Rougemontius* in ſua *Tartaro-ſinica*. Non tamen hæc tantum *Sinenſibus* præclara, de quibus legantur *Addita* ad *Confucium*, Antiquiſſimum Illuſtriſſimumque eorum, ut prędicant, *Phyloſophũ*: cujus editio latinè verſa, *Lutetiæ* Regio juſſu anno 1687. prodiit; deſideraretur autem utilior in *Europa*, & Orbe reliquo.

Ponderoſius tamen, ad tercenta ac viginti millia, ut nunquam

in

in Turri potuerit efferri Imperii ac Regiæ *Moſcorum*, cujus percelebris Turris *Iuan-Velichi* nomen, ad ejuſq; ima *Tintinnabulum* trabibus ſuſtentatur. Sic latinè *Iacobus Rutenfeldius* ſcribit. De *Officinis* in ea Metropoli *Campanariis* ampliſſimis, videndi *P. Poſſevinus* in ſua Legatione, *Comeſq;* *Zanius* nuper in Itinere anno 1691. *Parmæ* evulgato.

Imò, & ad duodecies centena millia ponderoſum in eadem ejus Imperii urbe *Pekin* ſcribit in Epiſtol. *P. Io: Grueber* Viennenſis ac Societatis, anno 1661. eximium ex quamplurimis *Tintinnabulis*, Tartarorum Rege nomine *Vanlo* ditione ampliſſima, primo poſt Chriſti ortum ſæculo poſito, cõflarique cum aliis minoribus gloriosè mandante. Ni tamen in Cronographia, ut ſuſpicamur, ſit lapſus.

Politicum verò & cunctis forſan præſtans, priorum capitum minutione, non omittendum illud *Regis Ramirii* ad univerſum *Aragoniæ* Regnũ ac Orbem auditum. De quo *L. Marinæus lib.* 8. *ad fin.* ac *P. Theophil. Rainaud. Oper. to.* 8. *ſive Hagiol. Lug-*

*dunenſ.fol.*404. Apud *Trajan. Boccalin.*ſymbolum *Ditt.*14.fol.104.cujus pulſu *Mutius Iuſtinopolitanus*, ad Arma proceſſiſſe Monarchas,Poliarchaſque affirmat.

Vitiata Lingua In *Umbilico*, ut nonnullis placet, *Italiæ*, ac Urbe Pontificia *Reate* probatur, ærei *Tintinnabuli* non incurioſa Epigraphe, quam ibi in ſupremo Templo has litteras ſervare ſcribit *Illuſtriſs.* ac ferè alter *Tullius* calami puritate, *Epiſcopus Theanenſis D.Octavius Boldonius* in ſua *Epigraph.Elog.*45.*fo.*67

*Virtutem largire Deus cum Virgine miram*
*Urbem Rheatinam Pater Andreas Cathedrabat.*
*Qui decus Eccleſiæ, ſimul & Virtutis amabat.*

Non tamen opera perdenda in explicatione temporis quod latet. undecimi forſan, vel ſequentis ſæculi prorsùs Barbari.

*Mantuanum* curioſiſſimum prorsùs,cunctiſque quę vidimus difforme à piiſſima ejus Urbis Viragine *Beatrice Comitiſſa*,decimo Chriſti Servato-

toris ſæculo, minori, ſed ampla forma fuit conſtructum, temploque *D. Andreæ* Collegiali ad Sacroſancti ejuſdem *Domini Noſtri Sanguinis*, olim à *Longino* collecti, ibique ſervati, de quo *P. Theoph. Rainaud. Hagiol. ſive to. 8. fol.* 589. & *P. Steph. Menoch. nelle Stuore* fusè ſcribunt, cultum augendũ oblatũ fuit. Cum verò nimia ejus ſonoritas muliebriũ abortuum cauſam daret, aliiſque contingentibus inutile pænitus evaſiſſet *Guidone Gonzaga* ſub Clariſs. Principe Domino *Io: Francisco de Gonzaga Marchione Mantuæ* anno Domini 1444. perpetuo Abbate Commendatario ſive majoris Eccleſiæ Præpoſito mãdante iterum fuſum, atque ex Artificis induſtria octo palmaribus fæneſtris apertum, pluribus Iconibus conſpicuum, *Longobardiſque* Caracteribus obſcuriſſimis inſignitum aliquãdiù adhibitum, poſtea verò fractum per annos nonnullos in proxima Mercatorum platea columnulis octo quoque marmoreis ſubſtitit. Qua tandem platea reparata, ad ejuſdem templi pavimenti dexteram traslatum



Digitized by Google

rum, ac in preſens uſque depoſitum mirè conſpicitur.

Ipſius Figura, quam *Chronica* vulgaris *Mantuana* & aliqua verba faciēs minimè exhibuit, hic iam ſubiicitur. In ejus angulis viſuntur *Atlas*, *Adam*, *Palas*, *Hercules*. Octuplex manica in ſummitate. Ad palmos ſex unciaſque decem elevatur, latitudine diametrali palmorum Romanorum ſeptem cum dimidio. Vacui craſſities duarum unciarum cum dimidio: in extima ſuperiori parte unius cum dimidio: in inferiori labro, quatuor cum tertio. Pondus univerſum eſt vulgarium ejus Regionis pōderum quingentorum quadraginta. Hæc perdiligens ejus meditatio: cui addimus, nocturno ibi eiuſdem Sanguinis feſtivę diei pervigilio, ob ſpōtanei ſonitus, ac *D. Lōgini* luce donati mirabilis facti recordationem, maius *Tintinnabulum* à pauperibus Cæcis continuò pulſari, quibus abundè ſatis comededendi præbentur Paſtilli.

At procedamus ad *Tintinnabulorum* vires, Deo operante, ex Miniſtrorum quidem ſacrorum, ut dicemus

*Be-*

Digitized by Google

*Benedictione* ſignificandas. Et vetus extat memoria, ab anno ſcilicet decimoquinto ſupra ſęculum ſextum, apud *Cardinal.Baron. to.*8.qui ex Surio *to.*5.*initio* in *D.Lupi Actis*; *Divi Stephani* etenim *Senonenſe* à *Clothario Rege* ſublatum dulciſſimi ſonitus cæpit ſurdeſcere humanis auribus donec reſtitueretur, ad mirabilem, ſeptem milliarium auditum, ad merita Sancti Viri. De quo *Vincent.* 23.*Specul.*9 ac 10. *Aureliâ* obſeſſa, eodemque ære in turribus moto, horrendum inductum ſonum, Urbem ſolutam, hoſteſque fugatos.

Miracula ſunt vetuſta ac perpetua quæ de nonnullis proferuntur ſatis probabili teſtimonio. *Sigebert.Gemblac.anno* 1081.& *Iacobi Meger.Annal.Belgii* 1062.*fol.*30.Spontanei ſonitus exempla edunt. Non tamen arridet quod primus de *Campanaria Turri* vehementi aeris flatu evulſa atque inclinata ſeſe hærenti, ruinam minanti, & poſt dies ſex reerecta, pédentibuſque & pér ſe pulſantibus *Tintinnabulis* profert. Hiſtoria forſan, ut Vir ſummus Italus arbitra-



Digitized by Google

batur, in *Germania* ſcripta poſt prandium. Præ aliis nomen & famam *Tintinnabulo* vulgò *Miraculorum*, *Villillæ* oppido, vulgo *Veliglia* prope Hiberũ flumen *Cæſarauguſtanæ* Diæceſis in Regno *Aragoniæ*, quod funes ac gradibus caret, ſeq-ipſo, antequã grave aliquod malũ Chriſtiano populo eveniat, per mẽſes aliquot ſuoque pulſu cardines pertingẽs ſonum emittit *Curita Hiſt.* 10. 93. & 14. 27. *Vairus de Faſcino* 2. 14. *Nieremberg.* 1. *de Mirac. Naturis in Europa* 1. 8. *Mariana Rer. Hiſpanic.* 21. 10. *Rio Diſquiſ. Magic.* 4. 3. 2. *Tholoſan. Reip.* 12. 13. *Emanuel de Valle de Incantat. ſeu Enſalm. ſect.* 2. *cap.* 8. *nu.* 39. & prius 1. 1. 27. latè deſcribit *Vargas de Machuca deciſ.* 27. *nu.* 4. qui & de aliis miraculoſum ſonum edentibus & *Petr. Matth. Hiſt. Gall.* 2. 4. 2. *num.* 10. prædictum ſonaſſe refert cum *Alphõſus V. Aragoniæ Rex Neapolim* petiit, cum *Sebaſtianus* Rex in *Africa* victus fuit, & cum *Carolus V.* Cæſar vitam functus eſt. Fertur quoque apud maiores pulſaſſe in obitu *Philippi II.* ac *III.* Regum *Hiſpaniarum* direptionem-

nemque anni. 1517. Romę portendiſſe *Anton. Ang.* ſcribit *Dial.* 6. *fol.* 194. Evulgatum eſt quoque *Durlindanæ* Gallorum in Collegiali Arcis *Amatoris* templo, ubi eius corpus pia eſt ſub cuſtodia, ac *Orlandi* percelebris eo nomine Gladii, quod *Tintinnabulum* ſuis pulſibus, navigantes periculo ſubditos ad preces fundendas invitat, notato, & poſtmodum verificato prorſus tempore. *Panormi* in Siciliæ Regno *B. Gerardi Tintinnabuli* minori apud Patres *Conventuales* & in toto *D. Franciſci* Ordine ſpontanei pulſus ad aliquid grave indicandum: quod refert noſter olim amiciſsimus *D. Carol. Pellegrinus* Abellinarum Epiſcopus in *Muſæo Hiſtoricoleg. p.* 2. *fol.* 11. Celeberrimum, iam fractum, nunc refuſum Nos vidimus in Conventu Patrum Ordinis *Prædicatorum* ac in Urbe *Salerni*, à *D. Thoma Aquinate* diſcipulis vocãdis olim adhibitum, quod triduo circiter mortem conſueſcit monere alicuius Fratris, vel hoſpitis ibi cuiuſvis. Pendet abſque ullo funiculo ſub fæneſtra circa portam peryſtilii.



Google

Et quod iidem Patres in *Cordubenſi*, & *Camorenſi* per *D. Dominicum* conſtructo, triduo prænuncientur à ſimili *Campanula*, notat ex eodem Ordine Vir clarus *Io:Lupus Monopolenſis Antiſtes*. Id à *P. Nieremberg. d. 1. 12.* tranſcribens, qui de ſimili in *Iaponiæ* tumultibus pulſu. Quibus pro eodem *Camorenſi* adiungimus quod iocosè lapidis ictu in ferrea ubi ſiſtit fæneſtra à quodam laico percuſſo, ipſius obitum quoque poſt triduum demonſtravit. At in obitu plurium & per quatuor Orbis plagas oriente *D. Laurẽtio* Monacho *Franzanonenſi* ex Græcis Codicibus manu exaratis *P. Franciſc. Carrera* è Soc. Ieſu profert in ſuo *Siculo Pantheone*. De reverenter aſſervato alio in *Bodkenſi* Cænobio, æneo quidem ac bene ſonoro, quod abſque ullo quoque humano miniſterio, inſtante ibi alicuius Monialis morte, ſonum edit, referunt *Del Rio 2.3. litt. E.* & *Vairus* ubi ſupra *nu.* 14. Idque affirmat in *Vita S. Meinulphi Gebelinus Perſona*, inventumque addit inter eius oſſa, creditum quod fungens mu-

munere Diaconi, illo in elevatione *Venerabilis* & *Auguſti Sacramenti* piè uteretur.

Exempla de ſpontè ſonātibus plura *Georg. Stengeb.* refert 1. *de Monſtris cap. 6. §. 9.* quemadmodum *Gaſp. Ens* de *Comitibus Vueſterburgicis* ſcribit, in eorū arce Horarii malleum plures ictus prodidiſſe. Rursùs de *Ligneo* in *Scandinavia* combuſto ac mutato, *Chriſtiano V.* Regnante *Greg. Michael* in philogicis notis ad *Iacobi Gaffarelli Curioſitates* 47. *fol.* 219. Et addit nonnulla *P. Ant. Dauroultius in Florib. Exemplor. cap. 4. tit. 25. nu. 8. ac. 9. p. 2. fol.* nobis 576.

Ut verò Maieſtati cuncta forent conſona, peculiare *Tintinnabulum* Florentini, *Martinellæ* titulo celebre, ſumpſere. quod tamen data opera, priuſquam Exercitus in hoſtem pergeret pulſaretur, atque idcirco tempus hoſtibus ſuppeteret. Idemque Exercitum comitabatur, & ad eius pulſum tam excubiæ diſponebant ur, quam reliquæ militiæ munia *Virtuſque tanta*, quod mirum, *tunc temporis in viris iſtis conſpiciebatur*,

 ut

Digitized by Google

ut *quod noſtro ævo hoſtem incautum opprimere in laude reputatur, id ignominiæ fraudiſque haberetur*, notatque *Nicol. Macchiavell.* impiæ Politicæ præceptor merito damnatus *Hiſt. Florent.lib.2.pag.67.*

Imo, ad Providentiæ Divinæ ſymbolum Eloquentiſs.*P.Nicol.Canſinus* caſum ex Terræmotu apud *Appulos* immani, refert, *Divi Severi Tintinnabuli*, quo Infans quidam mirabili ſanè forma detectus, & per plures dies abſque alimento incolumis ſervatus, mortuus tandem integer inventus. Vide *P.Recupitum* De *Terremotib.*

Scimus ex Actis *D.Iſidori Agricolæ* Apotheoſis, quod *Mantuæ Carpetanorum*, ſeu *Matriti*, *Philippo III.* Regnante à nemine pulſata, nulloq; artificio tracta *Tintinnabula* cuncta perſonuere, translato eius cadavere; quod ſcribitur quoque de obitu jampridem *Romæ* ex pervetuſta ac patricia *Sabellorum* Familia, *D. Alexii* Confeſſoris. Sic *Ravennate* dum faſtis piiſsimè functi fuere *DD. Aldobrandus*, & *Guidus*, & ſacris *D. Romual-*

Digitized by Google

*mualdi* tranſlatis oſsibus, tradente ex vetuſtioribus nuper *D. Hieron. Fabero*, in eius Urbis, Italicè ſcriptis, *Sacris Memor.* Divus quoque *Petrus Cæleſtinus* in hæremo, ſimili planè ſonitu ſupræmę gratię munus agnovit, *P. Abb. Telera* aliiſque narrantibus. Et, quod evenerit idem in Urbibus oppidiſque cunctis, per quos Mula ſacro cadavere *S. Raymundi Nonnati* onuſta, luminibus orba iter habuit *Barcinonem*, fit mentio ab *Alphonſ. Ciacconio in eius Vita* poſt *Greg. IX.* ſeu *Hiſt. Pontif. novæ edit.* 1677. to. 2. *fol.* 92. *litt. E.* Citraque naturæ ordinem ſic opus egiſſe *D. Pauli Tintinnabula Baſilicæ* extra Urbis mænia, die 24. Octobris 1610. tradit *P. Rocca fol.* 67. idemq; pluries Aera valdè ſonora *Baſilicæ Liberianæ* circa horã alteram noctis, Navigantibus in periculo præſtita ope, unde ex præſcripto pulſari ſolent. Quod à Viris digniſſimis ejus inſignis Patriarchalis ad nos eſt perlatum.

Cauſam refert, ad ſumma *Sanctorum* Tutelarium merita, ex miro quidem *Angelorum* Cuſtodum auxilio

ac

Digitized by Google

ac Miniſterio, poſt *P. Schottum laud. Op.p.2.3.prodig.4.pag.*174. qui & ex malo Genio: *Abellin. Epiſcop. Pellegrinus* ubi ſupra *fol.* 12. At quandoque Divinæ Iracundiæ ſeu Iuſtitię ſymbolo, velut in caſu *Tintinnabuli* Domini ſigno impreſſi, Bovique appenſi, furto ſublati ac venditi, quod fractum non ceſſavit prodigioſè in theca perſonare. Sic ex *Vità S. Medardi* in *Schediaſm. ſacroproph. P. Aloyſ. Novarin.* 2.25.*nu.*128.

Fictum, ſed prodigioſum ingentiū *Tintinnabulorum* ſonum, animalium ex inteſtinis laminaque ærea valde tinnula ac tremula *Id. Schottus Prod.* 5. explicat curioſè.

Religionem ineſſe *Tintinnabulis* prorsùs negant Acatholici, vimque eorum totam Naturæ tribuunt. Et quia quodamodo gentilizant, Ethnicorum textus proferunt, quos producere aliquantiſper non piget; Sacerdotes enim æreis cultris utebantur, perdocti de eximia æris virtute, in Magicis, in Sacris, in Mortuis aliiſq; quod non obſcurè *Catullus* iis indicat verſilus.

Can-

*Cantus & è curru Lunam deducere tentat.*
*Et faceret, ſi nō Aera repulſa ſonēt.*

*Ovid.* ſimiliter *Faſtor.* 5.

*Rurſus aquam tangit, Temeſeaque concrepat æra*
*Et rogat ut tectis exeat umbra ſuis*
*Cum dixit novies, manes exite paterni*
*Reſpicit & pure ſacra peracta putet.*

*Theocriti* Scholiaſtes *Idyl.* 2. rem declarat ſic *Aes pulſabant in defectionibus Lunæ & in obitu ſuorum, quia putabatur æs purum eſſe, & piacula & inquinamenta pellere. Ideò utebantur eo ad omnem ſanctificationem & purgationem. Aeris ſonitus dicatus mortuis. Apollodorus ait Athenis Hierophantem cum Hecate invocatur, pulſare crepitaculum æneum, & apud Lacones mortuo Rege ſolent pulſare Lebetem.* Thuſci æneo vomere uſi, quia in Herbis ſecandis, Spectris fugandis, Laboribus ſublevandis perpetuus olim *Aeris* uſus. De quo, poſt *Virgil. Serviumq:* videndi *Alex. Aphrodiſ. Problem.* 43. *lib.* 2. *Macrob.* 5. 19. *Ovid. Metam. fab.* 11. *Stat. Theb.* 6. *Tibull.* 1. 8. *Manil.* 1. *Hippius &*

*Bu-*

Digitized by Google

*Buchanan.* 1. *Spheræ lib.* 1. *Rhodigin.* 19.10.*Io.VVier. Gravian. de Præſtig. Dæmonum*, & exquiſitè *P. Bulenger. adverſ.Magos*.3.33.

Imò *Aenea* cuncta Veterum *Arma. Piſandri* ſecuris ac *Menonis* telum, apud *Homerum* docent. Sic in *Minervæ* templo *Achillis* Haſta *Phacelide*, *Theſei* cuſpis, enſiſque à *Cimone Miltiadis* repertus. *Iones* & *Cares* in Aegyptum prædandi gratia venientes *ære* armati. Apud *Pauſan.* ac *Plutarch.* Similia Arma ſelectæ Tribui *Servius Tullus* imperavit *Halicarnaſſeo* teſte *lib*.4. Primuſque *Aeris* quam *Ferri* uſus, quod poſt *Heſiod. Lucret.* ibi

*Arma Antiqua manus, &c.*
*Sed prius Aeris erat, quam Ferri cognitus uſus.*

Aptè *Livius* lib.1. *his imperata, Gallea, Clypeus, Ocreæ, Lorica, omnia ex Aere.*

Quandoque *Ferri* uſus cum *Aere* admixtus, aut confuſus, etiam ſi Heroum perpetuò ex *Aere*, Arma, vel ex *Ferro*, defenſiva tantum. Videndi *Homer.* Odyſ.1. *Ariſtot.* in *Poetica.*

*Plu-*

Digitized by Google

*Plutarchuſque* in *Camillo* qui *Sympoſ.* 3. Vulnera *Aere* inflicta minus dolere, inquit, faciliuſque curari. Verum de *Stamni* mixtura exempla in *Agamemnonis* Thorace *Iliad.* 11. & 18. *Achillis* Ocreis: *Auri* quoque ac *Argenti*, maximè in Heroibus, quod in eodem Divino apparet Poemate. De, In militaribus Armis ac Operibus, *Aeris* uſu, videndus *Cod. Theodoſ.* tit. de *Collatione Aeris* ubi *Clariſs. I. C.* ac *Philolog. Iacob. Gothofred.* qui & ibi in *Paratitl.* lib. 7. *to.* 2. *fol.* 264.

Ampliùs, ab *Aeris* tinnitu *Luporũ* ferociam abhorrere teſtatur *La Cerda Camp. Eloq. fol.* 282. & *Henr. Stockflet. cap.* 28. Tintinnabulis verò à navibus *Balenas* Monſtraque marina arceri *Cornel. Kilian. Duflæus* in *Poematib.* ibi

*Navita, Erythræum pavidus qui navigat æquor*
*In Proræ & Puppis ſummo reſonantia pendet*
*Tintinnabula: ſonitu prægrãdia Cete*
*Balenas, & Monſtra marina à Navibus arcet.*

Qua in re volvendus *Plin. lib.* 11.

*cap.*

*cap.* 37. ibique *Dalecampius* à *fol.* 258. & noviſſime *Io: Lomeierus de Luſtrationib. Veterum cap.* 25. *fol.* 237.

Hæc ex Naturæ placito vel luſu aliqualiter contingere haud diffitemur, *Stockfletum* eumdem, ut ſibi placet, demulcentes, qui fusè *Fabian. Hippium* laudatum, negantem etiam phiſicè hāc vim, perſtrinxit in ipſiusmet *Lipſienſi* Cathedra, ex propria *Altorſiana*. Quicquid tamen miſerrimi *Lutheri Calvinique* blatterent pediſſequi, Divinæ potentiæ cum ſecundis cauſis fulget concurſus, quo perficitur Natura, ſacriſque fulcris adiuta, fit vividior. In *Tintinnabulis* clarum eſt, accedentibus præſertim ex ritu Eccleſiæ ſacris *Benedictionibus*, de quibus infra, quoniam abſque iis rara vel nulla Virtus, & inaſſuetus ac indictus uſus: cum iis vero afflat cæleſtis gratia. Suppetunt exēpla non pauca apud *Beyerlinchiū* in Magno jam adducto *Vitæ Hum. Theatro* C. 59. 2. & priùs *lit. B.* Verbo *Benedictio*, hocq; *Tintinnabuli* poſtremo Volumine. Et laudatus *Anton. Dauroultius* è Patribus Societatis ſcrip-

ſcriptor nõ infęcundus, nec infidus *in Flor. Exempl. ſiue Catechiſm. Hiſtorial. p. 2. cap. 4. tit. 25. fol. 345. & ſeqq.* conſulendus eſt ſeriò. Nonnulla quoque apud *Io: Laur. Anania 2. de Natura Dæmonum cap. 7.*

Ad *Tempeſtates* itaque avertendas frequens ac laude digniſſimus hujuſmodi pulſus, quo Deus ipſe ad Miſericordiam videtur excitari, ex diſerto illo ſacræ Paginę loco *Numer. 10.* in quo de *Tubarum* clangore prorsùs miſtico ſic legitur *Clangetis ululantibus Tubis, & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, ut eruamini de manibus inimicorum veſtrorũ.* Ideoque Terrore per Ventos, Pluvias, Grandines, Tonitrua, vel Fulgura incuſſo, *Tintinnabuli* dandum ſignũ, ſanciente *Colonienſi Concil.* Provinciali I. 14. cui *D. Caroli Borromæi* calculum pium ac prudens in *Act. Mediol.* p. 1. & *Ritual. Roman.* ſubſcripſit *fol.* 189. Addit *Ignat. à Carnago in Civ. Refug. l. 2. cap. 4. dev. 5.* quod cum *Ventorum Turbo excitatus tempeſtatem portendit, ſtatim Campanis ſignum editur B. V. ſalutandæ, quem mo-*

*rem*

*rem Sancta Eccleſia uſurpat, ut Mariæ interceſſione, Dæmones nocendi artes amittant, & Terræ fruges ab omni tempeſtate aliove malo ſalventur.* Hoc modo Nubes frangi, Dæmoneſque ſi ſint in cauſa, aufugere ex Theologis docent Iuris Conſulti, maximè *Boer. deciſ.* 230. *nu.* 4. *Alberic. in Dictionar. verb. Campana. Alciat. Parergon.* 8. 11. *Io: Nider. in Præceptorio præc.* 1. 11. 37. *Bertrand. conſ.* 53. *nu.* 6. *lib.* 1. *p.* 2. *Galganett. de Iu. Publ. lib.* 3. *tit.* 62. *num.* 3. *Franciſ. Gall. de Fructib. Diſp.* 8. *num.* 14. *Rendella, Tondut.* ac *alii*. Et laudabilis in caſu praxis *Patrum Capuccinorum*, in eorumdem *Cæremoniali lib.* 2. *cap.* 3. & 3. 35. quam cum pluribus aliorum Regularium refert atque exornat *P. D. Franc. Maria Maggius Cleric. Regul. De Sacris Cæremoniis* abſolutiſſimo quidem opere *T. o.* 1. *diſquiſ.* 12. *fol.* 83.

Id autem Deo non dificile, fide humana humiliter interpellante, & in praxi ſatis obviū ex *Pancirolo, Polidoro Vergilio*, permultiſque. Sic Fulgura mirè expulſa, illo tinniente, in quo iampridem non abſque miracu-

cu-

Digitized by Google

culo inventa *D. Mariæ* Angelorum Reginæ, vulgò del *Puche* Imago in Valentino Regno, ſub *Rege Siſibuto*, ac *Pontifice Bonifacio V.* anno 722. de qua *P. Franciſc. Boyl.* in *Libello S. Mariæ cap. 5. pag. 26.* & materiam illuſtrat *Sim. Maiol. Canicul. 19. fol. 336 cum ſeqq.* Rursùs, parvum *Tintinnabulum* à *Divo Bennone Miſnenſi* Epiſcopo benedictionib. auctum illam *Germanorum* præclaram Urbem, totumque territorium à fulgure ac tẽpeſtate uſque in præſens immune reddere, locis etiam valdè proximis frequenter læſis, de auditu *P. Rocca* teſtificatur *cap. 21.* Agnoti quoque effectus *Leodii* anno 1643. ex eodem ſonitu aerem caliginoſum ilicò diſcutiente, *Io: à Cokier* ſcribit in *Face Hiſtoriar. Cent. 1. cap. 27. fol. 60.*

Sacrum pulſum *Sagæ* timent, & *Satanas* averſatur: qua ratione minima *Tintinnabula* Infantulis noſtris adhibita volunt nonnulli. Eo ad ſalutationem Angelicam audito circa Auroram à *Lucretia* quadam *Saga* anno 1524. ex earum conventu impiiſſimo domum reportata, à vectore

De-

Demone ſtatim in ſpinetum prope fluvium abiecta, ibique à noto iuvene deprehenſa, *Grillando* Iudici qui factum refert 2. *Sortil. q. 7.* fuit dedita, cuius imperio pænas tandem luit. Quod Satan illius ſonitu non ſemel receſserit *Alphonſ. à Caſtro* de Sortib. & *Maleſi. Hæreſi. cap. 4. verſ. de altera* tradidit; & in *Malleo Maleficar.* legitur *to. 1.* Idque Divinorum memoriæ cauſa per *Caſp. Areies* agnitũ in *Elyſ. Iucũdar. Quæſt. Cãpo q. 28. n. 16.* Eodemque tinnitu, Dęmon vel ſpiritus *Catharinæ* cuiuſdam Peruanæ fęminæ damnatus, qui prius affabatur ſociam, angulo confeſtim captato evanuit obliviſcens: quemadmodum ex anni 1590. Litteris plenius enarrat *P. Del Rio 1. Magic. q. 26. ſect. 5.* De hac virtute latus eſt *Hieron. Magius Var. Reſol. ſeu Miſcellan. 4. 14.* & videndi *Ioach. Camerar. Horar. ſubceſ. cap. 97. p. 3. fol. 364. prope fin.* & *P. Throph. Rainaud. Oper. to. 15. ſive Heter. p. 1. p. 411. & ſeqq.* præter eos qui de ſceleſto ad *Nucis* olim *Beneventanæ* conventu plurima tradidere, ut *Petrus Pipernus* ibid. Phyſicus aliiq;

Imò

Imò, & penè dæmoniaco, Dentium dolori *Tintinnabuli* ſonitum, prodeſſe, dumodò iiſdem agatur; illius exemplum oſtendit in preſens, quo *Divi Franciſcus*, *ac Bonaventura*, in veteri parvo *Fontis Columbæ Vallis Reatinæ* ſacello piiſſimè utebantur.

Tanta autem veneratione *Tintinnabula* ſunt proſequuti *Scoti* ac *Hiberni*, ut præ manibus habuiſſe *Baiulorum* nomine, ac ſæpè ſuper iis iuraſſe ponderoſi Scriptores affirment. Attigit in prediviti ſuo *Gloſſar. D. Du-Freſne tom.* 1. *pag.* 712. Rem verò explicat his verbis *Silveſ. Girald. in Anglic. Normann. ac Topogr. Hibern. Diſc.* 3. *cap.* 33. *Hoc etiam non prætereundum puto, quod Campanas Baiulas, baculoſque Sanctorum in ſuperiori parte recurvos, auro, vel argento, vel ære contextos, ſive contectos in magna reverentia, tam Hiberniæ, Scotiæ, quã Guuallię, vel VVallia populus & clerus habere ſolent, ita ut Sacramenta (hoc eſt iuramenta) ſuper hæc longè magis quàm ſuper Evangelia, & præſtare vereatur, & peierare. Ex vi*

*enim*

*enim quadam occulta & quaſi dicimus inſita, nec non & vindicta* (*cuius præcipuè Sancti illi appetibiles eſſe videntur*) *plerumque puniuntur contemptores, & graviter animadvertitur in Tranſgreſſores*. Scripſerat præcedenti diſcurſu aliquid etiam prænotabile, eſſe ſcilicet in *Lagenia* ac in Terra *Mactaleci Tintinnabulum* quoddam pergrãde quod, niſi à cuſtode ſuo exorciſmo aliquo ad hoc cõpoſito ſingulis noctibus adiuraretur, vinculo & quolibet vel fragili ligaretur, manè in medio Eccleſię *Divi Finnani* apud *Clunarch*, unde venerat, reperiretur. Idque aliquoties certò contigiſſe. Quod, Servo Dei Sanctiſſimo intercedente, poſsibile ac verum putamus. Lectu digna apud eundem in *Cambriæ Itinerar*. 1. 1. & 2. & de aliis Miraculis *P. Suarez in Defenſ. Fidei* 2. 1. *Anton. Auguſtin. de Nummis Dial.6.fol.*194. *Blaſius de la Nuza Hiſtor.* 1. 16. *Murill. in Fundat. Capellæ B. Marię del Pilar tract.* 2. *cap.* 22. *Beyerlinchius ac Novarinus* ubi ſupra.

Loci vetuſtatẽ verba *Tintinnabuli* de-

demonſtrare *D. D.* cenſent, ſibique ſuadet Anonimus, pro *ſacroſanctæ ſodalitate Sacerdotum ſæcularium* Urbis, ad eius Conſtitutiones ibi anno 1644. emiſſas cum *Tintinnabuli* iconiſmo, quod laxato ſubtiliſſimè corpore, crepuit, ubi hac leguntur: *Ad laudem Glorioſæ Virginis Mariæ ſacros. ſodal. Sacerdot.* fieri fecit Anno Iubilei 1525. *Opus Paulini de Doſſis*: & ſubtus inſignia cum quadruplici *S.* de qua optimè fulcita ſententia, in ſacro Romano Sanedrio: ipſum triũphaſſe audivimus.

Sonus colore nobilior magiſque delectabilis probatur acutiſſime per laudatum *P. Merſennium* ijsd. ſuis, quas meritò vocat, *Queſtion. Celebr. in Sac. Genes. cap. 4. nu. 21. a. 2.* pag. mihi 1541. *ac ſeq.* qui prius *q. 56. pag.* 1515. ac ſeqq; *Harmonica* apud *Hebræos, Græcos* alioſq: Inſtrumẽta recitavit. Apud ipſum legẽda ſunt curioſiſſima poſt *Ottoman. Luſcinium* in *Muſurgia*. Non deſunt apud cunctas Gentes exempla, quę ad rem faciunt. In Imperio etiam *Sinico* primus inter Conditores locus *Fohi*, qui Litteraterra-

terarum fundamenta iecit *Muſicaq.* Inſtrumenta, Fidium ſcilicet viginti-ſeptem alterum, alterum trigintaſex invenit, ut è ſoc. Ieſu *P. Philippo Couplet.* Belga poſt *præfat. ad Tabul. Chronolog. Monarch. Sinicæ. pag.* 20. Et memoria commendatiſſima *Tubal* Ca-nentium Patris in ſacro *Geneſeos* textu; ea enim aurea ætate, ex Ferro, vel Aere malleo repercuſſis, præmeditata videntur ſatis providè *Tintinnabula*.

Carmina Italica Parthenopæi non incelebris Poetæ *Hyeronimi Fontanellæ* in opere inſcripto *Nove Cieli* conſulto hic lubet repetere.

SIa di Nola gentil vanto immortale,
Che nel Tempio di Dio portò tal ſuono
Mà dal Ciel mi cred' io veniſſe in dono
Poich' in terra non parmi opra mortale;

Ben fà colui, che gli ſolleva un trono
Di fabriche pompoſo, e trionfale:
Che col valor del ſuo mirabil tuono
Tutto l' Inferno à ſpaventar ſol uale.

A tal Bronzo canoro ancor più forte
Ceda le glorie ſue quel bronzo edace,
Ch' à la fiera diſcordia apre le porte,

Quel rimbombo ſpaventa, e queſto piace.
Nuntio di Vita è l'un, l' altro di morte;
L' uno apporta battaglia, e l' altro pace.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT IV.

## *Varius Tintinnabulorum numerus.*

EX præcipua *Nolani Tintinnabuli* virtute ſatis deprompta, multiplicatio profluxa, indeq. controverſiæ; Rariora enim, vel ut minus nota inappetibilia, vel præcio largo effuſoq; ſubiecta, ac difficulter aſſequenda. Commodi vero aut Luxus gratiâ ſitis accenditur, & Forum aditur. Non ſatis erant humanis, ac Sacris uſibus ęquivoca ſigna, vel privata ac minora *Tintinnabula*, ſive ad populum convocandum, ſignificandos ac diſtinguendos dies feſtos, fidelium animos excitandos, pro Dei Gloria, ob beneficia humano generi præſtita, implorando cæleſti auxilio ad pellendas aereas tempeſtates, in ijſq. Dæmonum ſævitiam; ad honeſtandum Principum ac Præſulum Ingreſſum ad lætitiam ac ſolennitatem in Proceſſionibus & canticis laudis, ad augendam pro defunctis Pietatem, & alia, ut ex Auctore *Divin.Offic. Ratio-*

*n i*.meditabatur *Friburgenſis Doctor* Theologus *Iodocus Lorichius* in *Thes.Theol.to.1. verbo Campana fol.* 466.& Diſticon ſatis peruulgatum.

*Laudo Deum verum, Plebem voco, congrego Clerum.*
*Defunctos ploro, Peſtem fugo, & Feſta decoro.*

Quod optimè in *Turri Sipontina Eminentiſs. Cardinal. F. Vinc. Maria Urſinus Archiepiſc.* fuit imitatus.

Majoribus hinc ſupplices libelli pro cōceſſione porrecti, nefas enim id ſibi proprio marte arrogare. Et Diploma Pontificium eſt percelebre apud *Puricellum* in Baſilica Ambroſiana *pag.*109. & 377.*p.*3. *Puccinell.* in *Mediolanenſi Zodiaco Paſchalis quidem II.* ex anno 1103. in quo, *Concedimus*, inquit, *tibi tuiſque ſucceſſoribus quicquid de uſu Dalmatiæ, Sandaliorum, nec non Chirothecarum, & licentiam ferendi Tintinnabulum Capellæ, ex Apoſtolica auctoritate Antecessorum noſtrorum habere meruiſti, &c.* Mon dicit *elevandi*, quaſi quid majus, ſed *ferendi*, quod forſan cum Altare portatili. De Iure pulſandi

ab

Digitized by Google

ab *Epiſcopis* conceſſo, *Barenſi* ſcilicet, anno 1080. *Urſone*, *ac Ioanne Archiepiſcopo Canuſino* (inter quas Eccleſias extat unio) *P. Ughell. tom. 7. Ital. Sacræ fol.* 853. & 8. 77. Qui *to.* 2. 273. *litt. C.* Apoſtolici meminit *Alex. III.* Privilegii. *S. Sabini* in Urbe *Placentina* Cænobii *Tintinnabula* pulſandi in Nocte Natalis Domini, Sabbatoque in Paraſceve ad Miſſæ Introitum ac Veſperas. De quo Indulto maximè habito pauca exempla ſuppetunt priſco ævo in Sacra Hiſtoria. Vide tamen inferiùs.

Pravæ irrepſere profecto conſuetudines & corruptelæ, Pontificio Oraculo temperandæ. Quapropter unicum tantum *Ioannes XXII.* indulſit Mendicantibus *Tintinnabulum* niſi oppoſita ac irrefragabilis vigeret conſuetudo, maiori facultate ſibi reſervata, ut in *Extravag. un. de Offic. Cuſtodis*, ubi cavetur præjudicium Divino cultui & Eccleſiarum Officiis non inferendum, exorta inter ipſos & Cathedrales causâ litigioſa, de qua *Fuſcus in de Viſitat.* 1. 14. *n.* 6. & *per tot.* ubi de Regularium ad



Digitized by Google

plura & grandiora affectu. Scribunt plenè *Ceſpedes de Exempt. Regular.* *cap.24.dub.378.n.1.* ac *Tondut. San-leger.in Quæſtion.& Reſol. Benefic.1. p.cap.43. nu.4.* Quod quoque decretum fuit forſan,ut interno externoq; humilitatis cultu ſodales Religioſi votivam Paupertatem profeſſi, melius declararent; adverſus quam facere videtur exuberans hodiè apud Regulares *Tintinnabulorum* numerus: quem damnare,faceto ſatis calamo,promptus erat *Ioſeph. Vicecomes* de *Miſſæ Ritib.Antiquis* pag.27. affirmans tamen id eſſe vacui ſolatium ventris,ex adagio Vulgi ſermonibus trito,& *Tintinnabulis* Religionem ineſſe. At unicum permiſſum ipſis *Minoribus*, ex Populi defectu ſcribit *Selva* de *Benefic.p.1. q.5.53.* & Fratribus *Prædicatoribus* nullo privilegio potientibus ad plura, quemadmodum ex Ordine *Divi Auguſtini*, quibus cunctis conſuetudo contraria minimè favet, cum ſit potius corruptela ex *Voto deciſ.*102. *n.* *63.& ſeqq. Auguſt. Burboſæ* à quo & aliis materiam *De Eccleſ. Cathedra-*

*lib.*

Digitized by Google

*lib.* D. *Michael Anton. Franceſ* exornat *cap. 24. à nu.* 134. & 142. ceſſare, ait, in caſu requiſita cuncta conſuetudinis. Extravagans præfata in *Actis Eccleſiæ Mediolanenſis* 4. 1. 24. & *Synodor. Decretis* lib. 4. *tit. de Campanili* à Sacra *Divi Caroli Borromæi* diſciplina ſervata legitur iis verbis *Simplex Eccleſia, Oratoriumve unam tãtum Campanulam habeat ut Ioann. XXII. Pontific. conſtitutione ſancitum eſt*; cum eaque ſeſe minori ſemper numero addictæ, *Romanæ Rotæ* ſequela deciſ. 847. apud *Seraphin. nu.* 1. Ubi ſtricta loquutio *Monachos* non compræhendit, multoque magis quia *Zacharias Papa & Calixtus II.* ſignorum pulſationem quandocumq; vellent *Caſinenſibus* indulſere, etiam in Civitatibus, ut ex eorum *Bullar. Conſtit.* 4. & 11. idque pro Monachis Anglis de *Calixto* Pontifice narrat *Gul. Torne* anno 1085. Priſcaque Ritualia diebus feſtivis omnia ſigna pulſari mandare; quæ pulſatio *Claſſicum* vocata, erudito calamo *Cardinal. Bona in Liturg.* 1. 22. *in fin. fol.* 178.

Sæcularium Eccleſiis, *Eremitoriis* nempe vel *Sacellis*, unicum tantum permiſſum *Tintinnabulum* per *Tonduti Reſol. Benefic.* laudatam 63. *à nu.* 2. & Rotæ Sacræ placitum *dicta deciſ.* 847 coram *Seraphino*. Quod benê ſervat Modeſtia *Capuccinorum*, etiã ſi Moniales *Capucciniſſæ*, *Neapoli* preſertim, duo, & tria affectent, uſurpentque, moleſtiſſima quidem *Tintinnabula*; ipſarum clauſuræ forſan gratia nonnihil ampliantes. Patreſq; in Cænaculum teſtaceo ſigno advocantur. Prohibitione tamen omninò vigente *Hoſpitalariis*, *Templariis*, aliiſque in ſuis domibus *Oratoria* poſſidentibus, ex *Cæleſtino III.* in præfato *cap. Patentibus de Privileg.* ubi *Fagnan. nu.* 10. 12. 22. ac 24. cauſas reddit Pluralitatis numeri.

Privatim tamen ac minoris *Tintinnabuli* aliquid *Oratoriis* indulgendum tuentur *Baron. de Citat. d. to. 3. in add. ad q. 10. n. 16. ac Pinſonius de Benefic. Eccleſ. cap. 2. p. 1. §. 1. num. 9. fol.* 115. Et cuicumque *Communitati* Eccleſiaſticæ hoc minimè licere, ſicut *Eccleſiis* ipſis licet. Ex *Fermoſin.*

*De*

*De Offic. & Sacr. Eccleſ. tom. 2. ſeu ad tit. de Offic. Cuſtod. q. 1. n. 27.* fol. 548. Quod, ubi ſacroſancta ſervatur *Euchariſtia*, non procedit; ibi enim ſaltem unum huiuſmodi pendere ſignũ permittitur, quemadmodum *Innocẽtio XI.* Sanctæ memoriæ annuente, Patrum *Sacræ Miſſionis* Gallicanæ ſodalitatis Paulinæ privata ſacella ad inſtar Eccleſiarum ſunt habita: Idque *Romæ*, in *Monte Citorio*, cum ſeptem Altaribus ad Sacra facienda piiſſimo exemplo obſervatur.

Ac notandum, quod *Monachi* iampridem *Eccleſias* non habuere, ſed tantum *Oratoria*, monente id *Cujacio* I.C. ſcientiſſimo ad *c.* 2. 10. de *Condit. ad poſ.* Oratoria autem in *publica*, & *privata* diviſa, ut docuere *Ant. Bẽgeus & Frãc. ib. Pinſonius de Benefic. Eccleſ. tit. de fundat. Eccleſ.* §. 1. *nu.* 11. & *ſeqq.* Publicum dependet ac diſtinguitur ab *Eccleſia Parochiali*, decem familias ad minus requirente, ut *Franc. Galleti.* pernotat ad *Fulv. Pacian. de Probat.* 2. 31. *a.* Eccleſiæ olim omnes Parochiales. Sic *Roch. de Curte de Iurepat.* & poſt eum *Vi-*

vian. p. 1. lib. 2. cap. 4. Paul. de Citta-din. p. 3. cauſa 2. nu. 11. & ſeqq. quos ſequitur Caſpar Ziegler. de Dote Ecclef. cap. 7. num. 13. & 17., definiente Parochiam D. Cypriano 4. ep. 9. quod ſit Plebs Sacerdoti adunata, Paſtori-que ſuo Grex adhærens. Verùm diſcrepantia inter Martyrum Memorias, Baſilicas, & Oratoria, ex antiquis monumentis, a Samuele Petito lib. 3. obſerv. 8. explicatur. Videndus ipſe in Diatribe de Edict. Imper. in Grat. Chriſtian. Propoſ. & David. Blondell. in Apolog. de Epiſc. & Presbyt. ſect. 3.

De ſignis ac requiſitis Curatæ Eccleſiæ, unum eſt Tintinnabulum, ideoque unicum, duplex, vel triplex conceſſum reperitur juxta conſuetudinē, etiam ſi per hoc præcisè Parochialitas non intelligatur probata. Oldrad. conſ. 228. aliique apud Barboſ. de Offic. & poteſt. Parochi c. 34. verſic. ſimili modo.

Prudentiſſimè tamen D. Carolus Bortomæus 1. 25. de Suppell. Eccleſiaſt. hoc modo præſcripſit: Si Eccleſia Cathedralis eſt, ſeptem aut quinque (habeat) ad minus Campanas: ſi Col-

le-

*legiata, tres, grandiorem ſcilicet, mediam & minimam. Si Parochialis totidem, aut duas ſaltem: eaſque diſtincto quodam ſoni concentu inter ſe conſentientes, pro varia Divinorum Officiorum quæ fiunt, ratione ac ſignificatione.* Et ex eius mente, in ſimplici Officio una, eaque grandior pulſanda: pro ſemiduplici eadem & media: pro duplici omnes tres in *Collegiatis*. In *Cathedralibus* verò numerus auctus proportionabiliter, ut ex illo Divinorum Officiorum innoteſcat ratio. Sic *Theodoſ. Rubeus in ſuo Horar. Univerſ. 6. 35. fol. 37.* Quæ benè obſervat *Piſcara Caſtald. in Praxi Ceremon. 1. 3. 10. 2. & 3.* Notatque *D. Petrus Apaolaza to. p. Menſæ Euchariſt. Excurſu 6. ſect. 3.* & 4. 2. *Tintinnabulorum* in Templis, tanquam Tubarum clangore, hoſtes devinci, ut illos Iericho *Ioſue 6.* ibi: *Tollant ſeptem Buccinas, quarum uſus eſt in Iubilæo, & præcedant Arcam Fæderis, cumque inſonuerit vox Tubæ longior atque conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, clamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri corruent.*

 Imò

Imò,non tam numerus quam pondus invenitur minorum Eccleſiarum *Tintinnabulis* taxatum, nè Divina in Matrici turbentur munera, ex *Rota dicta decíſ.847.1.& ſeqq.coram Seraphino*. Cui matrici majus conceſſum *D.Michael Ant.Frances* ſcribit *dicto cap.24.nu.189.*

*Communitatibus Laicis*, Principum placito, permiſſa *Tintinnabula*. Hinc inter iura Communię recēſentur ea, quę in *Turribus Urbicis*, quas vocāt *Berfreda*, dicuntur *Bannalia*, ad vocādos ſuis pulſibus ad publicos conventus, intra bannum diſtrictus commorantes. De illis *in Hug. Epiſc. Leodien.cap.23.& 27.Hoeſemius*, populum conſueſcentibus ad conveniendum urgere. Sic ex *Radulpho de Diceto anno* 1191. Ex Charta Univerſitatis *Tornacenſis* anni 1187. hæc verba: *Præterea eiſdem hominibus conceſſimus ut Campanam habeāt in Civitate, in loco idoneo ad pulſandū ad voluntatem eorum pro locis Villæ.* Simili planè forma *Philippus Francorum Rex* in Arvernis anno 1345. *Concedimus quod poſſit habere ibidem*

quan-

Digitized by Google

*quandam Campanam pro facto & Cō-gregatione dicti Conſulatus.* Ad materiam plures textus refert in ſuo fæcūdiſſimo *Gloſſar. D. Carol. Du-Freſne* to. 1. *pag.* 711. ubi quod poſſint *Malefactores* ad ſonum proſcribi, *Tintinnabuli*. Quod ſi ſit majus in Eccleſia, *Prælatum* ad illius refectionem teneri, ſi id ſibi incūmbat, aliàs *Parochiam Kloch. de Contribut. tit. de Collecta cap. 9. nu. 94. fol. 225.* Taleq; debere eſſe ut à cunctis valeat audiri *ad tex. in l. talis C. de his quib. ut indign. et ad l. 1. §. hoc autem ff. ad Syllan.* Unde ſilentium ejus, vel ex Pulſatoris incuria, vel Eccleſiæ prçcepto, & in ſurdis non nocere, ſentiunt *Guazzin. ad Reor. Defenſ. 3. 3. 11. ac ſeqq.* & laudati à *Baron. de Citat. to. 2. Add. ad q. 10. num. 8.* & ultra. Sic Doctor *M. A. Sabellus* explicat Italicè pro ditione præſertim *Sereniſs. Magni Ducis Etrburiæ* nella *Pratica Univerſale* litt. *A.* verbo *Armi n. 43. fol. 36.* De qua *Principum* ad *Bannitos* perſequendos auctoritate ex Iure Municipali, cunctis concurrere debentibus ad ſonum *Dec. cap. Patentib. præ*

*dic.*nu.2.*de Privileg.* quemadmodum ad *Comitia* convocanda, ſilentiumq; indicendum, Præconis vice, olim à Romanis adhibiti. *Liv.7.3. Appian. 4. Plautus in Pænulo. Alex. Neapol.* 1.27.& ex modernis *Marc. Ant. Surgentus* in *Neapol.illuſt.*1. 11. 33. *fol.* 74.& videndus *Grucchius de Comitiis Roman.*. Poſt quem non leves emanarunt Pragmaticæ, quæ materiam ſcribendi *I.C.*non vulgarib.prebuere In actibus etiam *Univerſitatis* vocandos *Conſiliarios* per publicum *Tintinnabulum* diſcimus à *DD. in l. 1. ff. de Procur.* Cum id ſignum ſit inſtitutum ad varios ſimiles congreſſus *cap. in cauſis de Elect. Gloſſ. in cap. præſentium de Teſtib.in 6. Abb.in cap.*1.*nu.*2.de *Offic.Cuſtod.Bald.in l.*2 *ff. de Procurat. ibique Caſtrenſ.* Hinc *Neapoli* majus *Tintinnabulũ* D.*Laurentii*, boni Regiminis index olim, nunc verò cum ſex menſtruis ducatis ſublatum præſertim nocturno tempore, tintinnando à prima ad ſecundam circiter horam, quod quamplurium *Italiæ* Urbium eſt moris, ad Arma deponenda, Inſidias ac Deambu-

la-

Digitized by Google

lationes à quibus abhorrent Iura vitandas, quemadmodum *Portius Latro* in *Catilinam* ſapienter declamabat. Cui Tinnitui omninò ſub inflictis pœnis parendum, etiam ſi per incuriam cuſtodis omiſſum: ut benè *Eliſ. Danza de Pugna Doctor. tom. 1. fol.* 517. *nu.* 19. Et per ſimilem ſonum nequit amplius quiſquis incedere cum Inſtrumentis ad minus honeſtã moventibus harmoniam, ex *Mediolanenſi Statuto cap.* 125. de quo *Bobadilla Polit.* 1. 13. 56. ac *Narbona in Horograph. Iur. hora* 4. *nu.* 37. & videndus *Stuckius Antiquit. Convival.* 1. 11.

Utrum autem, Defenſoribus irrequiſitis, quotieſcumque ſit opus *Univerſitas* hoc ſigno à ſuperiori vel Magiſtratu convocari valeat? Affirmativè reſpondemus cum *Guidop. dec.* 631. *nu.* 5. *Brun. conſ.* 138. *Oldrad. conſ.* 95. *in fin. Aym. Cravett.* 4. 19. *et* 134. 7. *p.* 1. *Polyd. Ripa in Tract. de Nocte ſuper cap.* 1. *de Campana nu.* 12. & nuper à *Tho. Maullio de Homagio tit.* 14. Ad *tex. in l. obſervare C. de Decur. lib.* 12. *l. ſi id C. de leg. eod. et c. ſi*

quis

Digitized by Google

*quis clericor.* VI. *quæſt.* 1.

Quando etiam hoſtes longè conſpiciuntur, aut ingruunt, publicæ hæc pulſantur *Tintinnabula*, quaſi cives ad bellum ſonitu hortantia. Exempla textualia in *lib.* 2. *cap.* 35. *VVilch. Neubrigenſ.* & *Ditmari* 6. *pag.* 63. Hinc Poeta *Areoſtus* Can. X. St. 51.

*E la Campana martellando tocca*
*Ond'il ſoccorſo vien ſubito al Porto*

Quocirca ſtrenuus *Petrus Capponius* Francorum Regi quodamodo bellum indicens, & ad percelebres *Siciliarum Veſperas* ſignum tradens hæc Italicè *Voi ſuonarete le Voſtre Trombe, e Noi ſuonaremo le noſtre Campane*. Quamquam ſacris huiuſmodi ſignis plurimi ſint abuſi ex illo *Petrarcæ*.

*Nè sẽza Squille s'incomincia aſſalto*
*Che per Dio ringratiar fur poſte in alto.*

Ad *Arma*, Tinnitu pulſatur, ſeu à *Martello*, adſtrictis pecunia civibus ad prodeundum ex *Capiblan. de Baron.* 1. 19. 56. Et vide *Menoch. de Arbit.* 121. 15. & *Ripa de Noct. Temp.* 5. 15.

Digitized by Google

15. *et ſeqq.* Et publica facultate, aliàs capitis pæna. *Boſſ. de Crim. læſæ Maieſt. n.* 35. *et Novar.* de *Gravam. Vaſſall.* 303. 3. *to.* 1. Non tamen adſtricti Minores, Senes, Doctores, Nobiles, Infirmi, ac Fæminæ. *Graud. de Bello exul.* 3. 7. *et Novar. quæſt. For.* 112. Plura vide infra *cap.* 9.

Ob ſeditionem, *Communiæ* ac *Tintinnabuli* tanto jure, non pauci privati. Quæ dignitas *Hedinienſi* Reipublicę eadem causâ ablata, cum *Philippus Auguſtus* illud Aes notum ad *Ariam* tranſmiſit. Eoque, ſigillo, arcaque publica ſic *Landenſes* privati *Areſto* 1295. in *Regio Parlam. B. fol.* 108. Ademptumque *Iprenſibus* olim à Rege *Philippo Valeſio* anno 1328. In Chronicis Flandriæ *cap.* 57. legitur à *Belfredo* ablatum. Ita *Carolus V.* Cæſar Invictus in *Gandauenſi* Obſidione *Tintinnabulum* grandius *Rolandi* nomine comminui juſſit, fragmentum rauco murmure, ob famosā relinquens memoriam, ſimileque imposterum prohibens, ut *Beyerlinchius* refert in *Theat. Vit. Hum. Aquitaniæ* quoque *Magiſter* anno 1547. *Maronen-*

*nenſes* ob ſalis impoſitionem bis rebelles cunctis *Tintinnabulis*, quibus audacter ad facinus uſi confeſtim, privavit. Meminit *Pet. Greg. Tholoſ.* 23. *de Repub.* 8. 2. Anniſque poſtremis *Excellentiſs. D. Comes de Sancto Stephano* vigil nunc *ProRex Neapolitanus*, in *Siciliæ* Regni moderatione, publicum æs Campanum celeberrimum *Meſſanæ* Urbi rebelli colliquefieri, ex eoque *Caroli II. Regis* Triumphatoris fæliciſſimi Statuam fundi mandavit. Militandi peritorum prudens cautela inde emanavit *Campano ære*, vel *Horario* in obſidionibus tollendo, ne hoſtes dato ſigno facilioris invaſionis anſam arripiant. *Kloch.* notat ubi ſupra *n.* 97. *fol.* 226. vel ex inſolito pulſu, ne ſcintilla in incendium vertatur.

In Arcibus munitioribus, dirigunt etiam *Tintinnabula* Excubias, ut in illa ſatis clara *Hermeſtein* ad dexterã *Rheni* Ripam, ſub ditione *Eminentiſs. Trevirenſis Electoris*, ubi *Moſellæ* confluit, *Circuitores* appellantur, ut vigiles ſibi ſubſtituant, quod veluti quid rarum advertit *Io: à Chokier. in*

*Fa-*

Digitized by Google

*Pace Hiſtoriar. Centur. 1. 24. fol.* 58. Nos autem & *Romæ*, in *Arce Adriana*, & pluries alibi per orbem ſimilia minora *Tintinnabula* vicinis alternis pulſantia ſedulò obſervavimus. Quâ in re, ſi quid amplius deſideretur, conſulendus *Io. Meurſius Exercit. Critic.* 2.9. ex Lectione Græca.

*Gandegavenſes* ac *Leodienſes* ſimiliter, qui ſeditionibus famoſi perhibentur, peculiaria in hunc finem habuiſſe *Tintinnabula Martin. Schoockius* de *Diſcord. Domeſtic.* ſcribit *lib. 1. fol. 66.*

Obligatio ad accedendum ex eo pulſu vice Præconis, ac *Univerſitatis* mandato ſic eſt innixa, ut ſtatutis diebus, vel horis, etiamſi duæ tantum ſint partes, poteſt ad electionem procedi, vel negociũ de quo eſt quæſtio vel citatio diffiniri. *Gloſſ. in l. ſed ex dolo* § *1. verſ. facere ff. de dolo. et in cap. cum nobis de Elect*, DD. cummuniter ibi. Rursùs *Bellon. conſil.* 39. *Maſtrill. de Magiſtrat.* 2. 5. 15. 40. *et ſeqq. Nicol, Anton. de Palma in Praxi Rer. Notabil. Iur. p. 2. gloſſ. 9. nu. 22. et Didac. Narbona in Horograph. cit.* in

*An-*

Digitized by Google

*Anteloq. n.* 138. *fol.* 39. addens id meritò, ob contumaciæ pęnam in abſentes.

Ad cujus publici *Tintinnabuli* ſimilitudinem Univerſitates quoque Studiorum, Scholares advocant & Magiſtros: de quo *cap. penult.* textum dabimus. In Urbe, autem *Collegii Romani* illud inſigne apud Patres Societatis, *Anglia* advectum, & ſonorũ magis, jam ſcripto ( *Sapientię* vocant ) *Athænei* ibidem agnito, ſignum eſt maximorum congreſſum, & matutinis & veſpertinis apud pleroſque tùm Aulicos tùm Cauſidicos, qui ad illius pulſum præſcriptis horis omninò conveniunt.

Et non modo in *Litterariis* quàm in *Militaribus* laudabilis quidem uſus, maximè in Caſtris, Nolarium illud portatile oſtendit ligneum, nomine *Carrocium*, in quo, ſive pro Sacris indicendis, ſive pro aliis *Tintinnabulum* pendebat, à militibus virtute ſumma defenſum, ejus amiſſione pro dedecore habita. Cujus Icon apud *Magium* & *Fratr. Macros in Hierolex.* ex *Antonio Campo* in *Deſ-*

*ſcript.*

*ſcript. Cremonæ lib. 2. fol.* 42. aliiſque In uſu Veterum *Saracenorum*, notat *Caſp. Barth. animadverſ. in Briton. Philippidos* lib. 11. *nu.* 25. De quo *Io: Turpinus in Reb. Caroli Magni cap.* 18. *Et erant*, inquit, *omnes Saraceni ſimul coadunati, et in medio illorum erat Clauſtrum, quod octo Boves trahebant, ſuper quod vexillum eorum rubeũ elevabatur: moſq; erat, quod nemo de bello fugeret, quamdiù vexillũ eorum erectũ videret. Saxonum inſi gne maximum.*

Vide ſi placet De *Tintinnabulo* peculiari *Brixiæ* ex *Mediolanen. Carocio* deportato, ac in populi turrim ſubducto inſtitutione, ut in Carnis privii diebus publicæ lætitiæ cauſa pulſetur. *Sigon.* 15. *de Regno Ital.* Alia apud *Auct. Manip. Flor.* ex quo *Corius Hiſt. Mediol.* inventum ab *Heriberto* illius *Archiepiſc.* quo uſi *Cæſares* ac *Reges Hungariæ. VVitichind. p. et* 3. *fol.* 19. *et* 42. *Edit. Baſileenſ.* & fuſius apud *Henric. Meibomium ad Annales Marcanos Leuvoldi Horthoſii fol.* 44. Hodie *Gallis Carrocia*, ſeu *Chariots translaus* currus ſuſpenſi quibus vehuntur *Du-Freſne*

*to.*

*to. 1. pag.* 857. Et Nos aliquamdiu jucundiſſimum in illa plaga ſic iter egimus. Rem novam à *Carro*, novoq; donandam vocabulo , ut putamus ſequioris ævi exiſtimat *Illuſtriſs. Theanenſ. Epiſcopus Octav. Boldonius Epigraph. 2. memb. 2. Parænef. fol.* 111 ubi ex *Marcello Buttilio* in *Nuptiali Pompa Sereniſs. Ducis Parmenſis* elegantiſſimam hanc adfert Epigrapham

*Parmenſes*
*Secundo à Federico*
*Puram per biennium obſidionem paſſi*
*Extemporali eruptione*
*Cæſareis Caſtris incenſis et exciſis*
*Imperatoris*
*Carrocio , Corona , Sceptro, Paludamento*
*Potiuntor .*

Idem *Carrocium* ſtrenuos Parmenſes *Cremonenſibus* abſtuliſſe *Ant. Cāpo* quoq; refert, abſoletum affirmās *fol.* 60. perelegātis ipſius *Ichnograph.* Et pro magno Curru *Hofmanus* in *Lexici Vniverſ. to. 1. ſive 5. Addit. fol.* 382. non oſcitanter idem *Carrocium* uſurpat.

A n-

Antequam elevarentur in Ædium *Feneſtris*, vel *Turribus*, minora *Tintinnabula* profectò circumducta. In Antiquo *Metropoleos Neapolitanæ M.S.* Rituali Textus huiuſmodi *Mittat Clericum cum Campanella ad præconizandum omnibus Clericis, & Populo, qualiter tali die fiet Proceſſio generalis* Quæ vetuſta poſſeſſio, ad privilegium forſan tranſuecta, alicubi, ut in Romæ Proceſſionibus hodie ad vexillum *Baſilicæ* cuiusvis, vel *Patriarchalis* Templi ſolidè retinetur: ita ut, pulſatis grandioribus, aliquod minus ad ligneam feneſtram ſuſpenſum cirumducatur Populari vocabulo, ſive Germanico *Scella* à *Schellen* quod eſt pulſare, ſive Italico *Squilla*, quod Scriptores nonnulli minus Latini Latinitati intulerunt, de quo ex *Valerii* forſan *Epig.* illo 78. lib. 13.

*Cæruleus nos Liris amat, quem ſylva maricæ*
*Protegit: hinc Squillæ maxima Turba ſumus*

Lucidè *Raderus fol.* 878. & ſeq. ex *Cic. Nat. Deor. Plin.* 9. 24. *Oppiano, Athenæo* aliiſque interpretatur.

Idem

*Idem Boldonius* 2.*fol.*78.*Piſciculi ſpecies, item Herbæ apud Veteres Latinos, corrupta Latinitate pro Tintinnabulo*, hoc eſt parvulo, vel minuto, Animalibus appendi conſueto. Quandoque ad oſtia, & nonnunquam ad ſono convocandos, quos interſit, ex *P. Al. Novarin. Encyclop. Epiſtolar. laud. nu.*50.*ſeu Epiſ.*8.*fol.*11. Sic de illo *Petrus Mauritius Venerabilis* Statutor. *Clunia cenſ. can.*25. *Statutum eſt ut, loco famulorum qui manè vociferando Fratres in Infirmaria jacentes inhoneſtè ad Miſſam vocare ſolebant, Scilla ad hoc in ſublimi Infirmariæ loco ſuſpenſa pulſetur*. Aegrorum Dormitorium vel Hoſpitale pro *Infirmaria* Interpretatio *Caſp. Barthii Adverſ.*55.10.pag.2606.*Lanfranc. in Decret. pro Ord. S. Bened.* 1.*Sect.*3.*A Secretario ſigillum minimum, quam Skillam vocamus.*

Cæterum hæc *Squilla*, velut Aes tenuiſſimi ſonitus, à *Mattheo Paris* in *Vita Abb.* ibi *Tacta Nola, cui Muta* (hocque notandum) *vel Scilla eſt nomen* egregiè in *Actibus Sancti Priminii* Epiſcopi deſcribitur: *Quondã*

*pen-*

Digitized by Google

*pendebat vas fuſile, mediocris videlicet ponderis, vulgaris hoc uſus Scellam nominat, quod miræ ſonoritatis dulcedine audientiam ſenſu afficiebat. Petrarca p. Can. 3.* de illa:

*Ch'el ſuon, non d'altra Squilla,*
*Mà di ſoſpir mi fà deſtar ſovente.*

*Io: de Caſa* Archiepiſcopus Beneventanus *Son. 1.*

*Pur ſuol deſtarmi al primo ſuon di Squilla*

Ubi adnotat eleganter Vir, ob Linguæ ſingularem ſanè peritiam, Gallo Tuſcus meritò appellandus *Aegidius Menagius*, qui & abundè in *Originib. Linguę Italicę* eâ Lingua productis. De uberioribus tamen, ad eũdem Ethico-Poetam, ſcholiis, acutiſſimi quidem Philoſophi *M. Aurelii Severini* ſpem proximam *Bulifonianus Neapoli Typus* facit.

Nec impropriè *Aurora ſquilla del Cielo* appellata à *Comite Guido-Ubaldo Bonarellio* in ſua Ecloga *Filli di Sciro* ibi.

*Ecco l'Alba, odi l'Aura*
*Ch'è la ſquilla del Cielo, ond'ei richiama*



Digitized by Google

*In ſu'l mattin gli addormentati Augelli*

Pro qua Metaphora apologeticè ac optimè *Octavius Magnaninius nel Convito* p.3.*cap*.1.2.*et* 3.

Non ſemel autem eo *Tintinnabulo* ornati atque inſtrati *Equi*, maximè apud *Francos*: de quibus *Arnoldus Lubecenſ*.2.16. *Sedens in Equo phalerato, cujus operimento filia Principis inſerverat Tintinnabula plurima, tùm pro oſtentatione, tùm equi alterius fugatione*. Quandoque uno tantum argenteo aurato, vel pluribus aureis & argenteis, ut in lingua vernacula de Rege Ludovico *Monſtelletus p. vol.cap*.62. *Son Cheval eſtoit convert et parè de Clochettes dorées*. Aliis placuit appellare Clitellariorum Equorum *Tintinnabulum*, ut plurimum hodie *Mulorum* collis appenſum. Sancitum de illo in *Legib. Salicis tit*. 29.§.3. *Si quis ſkellam de Caballis furaverit etc.* ubi inſignis Vir *Franciſc. Pithæus*, cū quo videndus *D. Du-Freſne* in ſæpè laudato *Gloſſar. to*.3. *pag*. 880. *et* 1132. Similia in Legibus *Bojorum*, *Burgundiorum* & *Gothorum*,

apud

Digitized by Google

apud *Henr. Arnold. Stockſletum* de *Campan. uſu cap. 29. p. 1.* & non omittenda *Juſtiniani Cæſaris* Sanctio in *Legib. Ruſtic. tit. 2. § 1.* Franciſco Balduino Interprete: *Si quis Crepitabulũ ſive Tintinnabulum Bovis aut Ovis, aut alterius cujuſvis animalis ſuſtulerit, convictum flagellator ut Fur.* Hinc Bruta varia *Campanulata* dicta ex *Sidon. Apollinar. 11. ep. 10.* Et nomine *Campanelli* in *Hiſtor. Carthuſ. lib. 10. cap. 2.* habetur *Eſt vere Antonius, cujus nomine Porci portant Campanella.* De ridiculo planè in Venationibus, Aucupiis, & captandis *Muribus Noriberga*, minorum *Tintinnabulorum* uſu pręfat. *Stockſletus* cap. 29. *&* 30. Iis explorari Equos an ſint conſternaces, legit & ſcribit *Adr. Iunius Animadverſ. 3. cap. 11. fol. 144.* Piſces eodem ſonitu convocari *Floricb. in Cynoſur. Peregrin. p. 1. pag. 404.* In Aprutinis nocturnis Anſerum Venationibus unius ſonitus omnes invitare docet experientia. De *Columbis* ad pulſum *Campanulæ* in *Marchia Anconitana* remeantibus pluries audivimus: *Oves* autem



Digitized by Google

centenas è cavernis manè eductas, Veſpere vero per Teſtaceum *Tintinnabulum*, puero tintinnante reductas in *Ducatu Sleſiæ* noſmet jucundiſſimè perſpeximus.

Quo forſan varioque alio non illepido brutali teſtimonio, moraliter diſcimus, nec ſuperbire, nec ſcientia inflari homini fas eſſe. Hinc Romana in Academia, Laurea Doctorali noviter inſignitis, cum Bovinis ſeu Bubalinis *Campanulis*, vel plauſus, vel ſtrepitus fit per Urbem.

Cunctis preſtat ex inſtinctu, & quaſi diſcurſu, exemplum illud memorabile in *Ioann. Villani Chron. lib. 3. cap. 3.* De Equo *Neapoli*, ut nonnunquam eſt moris, ſeneſcenti, abiecto à Domino pervetuſtæ *Capiciæ* familiæ, ut fertur, qui *Tintinnabulum* traxit ad *Caroli Illuſtris Calabrorum Ducis*, *Roberti Regis* & Regni Vicarii filii feneſtram appenſi pro audientia univerſali; Admiſſus enim fuit Equus & cognita cauſa, ad victum Dominus damnatus, cum iniquum *Carolus* diceret Equum a Domino in ſenectute derelinqui, ubi ipſe in juventute ab

Equo

Equo derelictus non fuerat. Referunt quoque *Coſtantius*, *Collenutius* aliiq. Regnicolæ.

Inde patet, apud eximios *Principes* non novum nec improprium *Tintinnabulorum*, cum habeantur ut publica ſigna, uſum ac morem; etiam ſi *laicis*, tanquam quid ſacrum vetita domi retentio ac pulſatio, per ea quæ Iuris Canonici tradunt Interpretes in *d. cap. Patentibus de Privileg.* In parvulis tamen id limitatur, per *Helvetiā* ac inferiorem præſertim *Germaniam*, ubi ad privatas ædes quaſque eo ſigno, & per Dominum factus ingreſſus; pendent enim ad portas ferrea filamenta funium loco, inter ſe validè connexa, latiori ac piracea forma in extima parte. Sic olim ad Ianuas appenſa text. *Tranquilli* docet in *Aug.* 91. de Iove Tonante ibi: *mox Tintinnabulo faſtigium ædis redimiuit, quod ea ferè Ianuis dependebant*. Poſt *Iuſt. Ricquium* de *Capitolio* 39. uberrimè *Caſp. Sagittarius de Ianuis Veterum* 22. 14. Ad hoſtium verò adſtabant *Servi*, quod *Nonius* ita detegit in *Vopiſco*: *Hoſtiarii impedimenta tini-*

*nire audio* ideſt ſonare, quod activè & paſſivè intelligi poteſt, unde *Tintinnabuli* appellatio. Ex Tito *Poma de Oper.Servor.fol.*133. Honoris gratia ad menſam & alia, *Tubis* iampridem Excellentiores Viri vocati, quemadmodum in Itineribus ducti ex *Iunio Animadverſ.*3.7.P.*Bulenger.* de *Triumph.* & melius *Iuniore Thomaſino* de *Tibiis,&c.* Hodie, ex privilegio peculiari, *Tintinnabulo* elato ac ſonoro fruuntur, & Aulas optimè in Urbe dirigunt *S.R.E.Cardinales, Cæſaris, Regum, Magni Etruriæ Ducis,* Supremorum *Italiæ* Ducum, *Sabaudiæ, Mantuæ, Parmæ, Sacriquæ Ordin. Hieroſolymitani Legati*; Non tamen Barones etiam præſtantiores, velut *Columnenſis* Princeps ac *Magnus Neapolitani Regni Comeſtabilis,* Braciani Dux *Urſinus* ex vetuſtiſſima *Aniciorum* proſapia Romana; Nec Bononienſes vel Ferrarienſes Oratores. *Pontificia* in hoc quoque fulget *Nepotago*, ut eleganter *Beniaminus Priolus*, cum ad ſupremi Solii evecta eſt Decus, ad fluxilis hujus gaudii tempus. In quorum Magna-

tum

Digitized by Google

tum ædibus, Familiares olim vocati ad *Tinellum*, quaſi *Tinninellum* ipſo *Tinnitu*, ex *Roccha* 24. cap. *fo.* 247. ad menſam ſcilicet frugali vel opiparo apparatu; cui perbellè *Cæſaris Caporalis* Muſa Italica artiſit.

Qua *Tintinnabuli* prerogativa ſeu poſſeſſione fruuntur foris *Apoſtolici Apocriſarii* vel *Nuncii*: nonnulli in propria Sede *Epiſcopi*, & Civitatum *Gubernatores* aut Præfecti, *Anconitanus* maximè, & *Urbis veteris*, in quarũ altera Magiſtratus in propriis ędibus; excipit enim & excipitur, honorẽq; hujuſmodi ab *Eminẽtiſs. Cardinali Roccio* Epiſcopo avidè expetivit.

De paritate quoad *Ceremonialia* inter *Legatos Regios Ducaleſque* ſcripſit *Io: Georg. Kulpis* in de *Legationib. Statuum Imperii Commẽtar. Gieſſa* edito anno 1679. *fol.* 433.

Manuale ac domeſticum eſt cuilibet arbitrarium, ut Iuris Conſultorũ verbis utamur, *Tintinnabulum*: quo lætantur Pueri, Principes, Abbates, Prælati ac Proceres ad libitum potiuntur, maximeque *Sanctiſſimus Potifex* vocat ac dimittit Auditores.

## CAPUT V.

### *Horis deſignandis Tintinnabulum peculiariter adhibitum.*

TIntinnabulo grandiori elato ac profuſo; ut Eruditioribus libet, *Horologium* pulſans quod *Horarium* quoque ac *Horographium* fuit dictum ad Horas facili diſtinguendas, Orbis commodo non modico introductum: ex *Pollionis* Architectonica 9.9. deducitur. Vox *Hora* ab *Horos* græcè progenita Solem ſignificat, quod *Macrobius* ac *Plutarch.* docent, ille quidem *Saturn.* 1.21. hic vero *s. Sympoſ.* 4. Sol autem diem producit, iiſque Horis diſtinguit. *Narbona ad Horograph.Iur.in Antelog.n.8.*ex *Biſciola Subceſ. 9. 19.1. & Petro Greg.in Opt.I.C.præl.ud.4.1.3.* Quarum mentionem diu prorsùs ignotam, *Græcis* ac *Latinis*, minuſq; frequentem, poſt *Plin.* ac *Cenſorin. Hiſtor. ac de Die Natal.* volvere *Barth. Adverſ.* 58. 6. *Caſaubon. in Athen.* 1.1. *Salmuth. ad Pancirol.* 1.

tit.

*tit. de Horis fol.* 748. & *Ramirez de Prado* 23. *Pentecontare.* Moſis temporibus inventum ſcribit *Pol. Virg.* Ioſephi 3. *Antiquit.* teſtimonio: primumque *Achaz* feciſſe 4. *Reg.* 20. & *Iſai.* 38.8. plurimi credunt.

*Solare* ac vetuſtius, cujus formam *Vitruvius p.* 6. ac *Plinius* 2.72. & 76. deſcribunt, inventum fertur *Anaximenis Mileſii*, aut *Beroſi Chaldæi* & *Ariſtarchi Samii* ex eodem *Pollione* ubi ſupra, in Urbe *Achanta* trans *Nilum*, ut *Pier. Valerian.* putat *lib.* 6. Ex Græcia poſtmodum *Romæ* propagatum eo modo quo *Id. Plin.* 7. *ult.* & *Vitruvius* 9.4. & 8. ſcribunt. *Sciathericon* quoque, ſeu Umbræ indagatorium à *Plinio* appellatum 2. 72. de quo *in l. ex empto* § *fin.* de *Act. Empt.* egregiè *Budæus*. Cujuſmodi præfatum *Achaz* fuit meditatus. *Sebaſt. Munſterus* Romę vult annis trecentis *Horaria* quæcumque ignorata, poſt antiquum *Hebræorum* uſum teſte *Menoch.* de eorũ *Republ.* 7.13.8. A quibus Inventoribus facilè eſt credere ad *Ægyptios* promanaſſe, & ex his poſtmodum ad *Græcos.*



Digitized by Google

Porrò de *Achaz Horologio* elegãs deſcriptio apud infinitæ ſcriptionis Virum *Alphonſi Toſtatum*, in modum ſcilicet Hemiſpherii facti de *Aere*, vel de alia materia, cum Stylo vel Gnomone in centrum, ſurgente in altum, à cujus radice lineæ facientes æquales angulos, æqualeſque abſcindentes arcus de circumferentia: eæque numero duodecim, quarum quælibet unam deſignabat horam, ſicut apparet in Aſtrolabio, ac per illas noſcebatur quot horæ diei eſſent, quando ſcilicet Umbra Gnomonis præveniebat ad lineam aliquam, deſignabat numerum horarũ, ibique ſi Sol decem tranſiret lineas, decem erant Horæ. Conſule *Arias Montan.lib.*12. *Petav. ad* Uranolog. *Claud.Salmaſ.Exercit.Plinian.p.*657. *Claud.Paul.Sberlog.Antiquit.Hebræor.cap.*1.*ſect.*7.*nu.*56.& *Cornel.à Lapide* in eadem Sacræ Paginæ loca.

*A. Zimmermannus Annal.menſe* 1. Cubiculi veteris meminit in totum vitrei, ubi Stellarũ omnis diſciplina ac Matheſis Mechanica arte conſtructa oculis exhibita. In quo menſium, an-

Digitized by Google

annique curſus certc numero per horarum articulos diſtinctus, & Lunaris globi plenitudo vel diminutio, accurata ſupputatione, digitorum motu previderi potuere.

Memoria quoque fidelior forſan in *Alexide* Poeta apud *Athenæum* de præcioſa in convivio quodam patina, quę horas, ac tempora indicaverit, quæque Cæli curſum ac alia repræſentaverit *lib.* 2. *cap.* 18. & in celebri *Trimalcionis* apud *Arbitrum* Repoſitorio, ſigna duodecim in Orbem diſpoſita, ſuper quibus conveniens materiæ cibus exhibitus. Plura non pauca 3. ſuæ *Magnet.* 648. *Kircherius* memorat.

*Lucianus* verò *Samoſatenſis*, qui circa annum Domini centeſimum vixit, *Hippiæ* Balnei meminit, duplici *Horologio* commendans ornamentum, uno per Aquam, & ſonitum quemdam, quod *Hydrologium* nuncupat, altero per Solem. Prius *Cic. de Nat. Deor.* 2. *Aut cum ſolariũ*, inquit *vel deſcriptum, aut ex aqua contemplare, intęllige declarari Horas arte, non caſu.* Iocus Plautinus Paraſiti in



Digitized by Google

*Boſotia* Comædia apud *Gell*. 33.

*Ut illum Dij perdant, primus qui*
*Horas repperit*
*Quiq; adeo primus ſtatuit hic So-*
*larium*

Et de ſolari umbra *Ezechiæ* tempore lineis decē per quas aſcenderat in *Achaz* ſolario evocata *Iſai*. ibid. elegans *Philippi Melanctonis* Lutherani Epigramma

*Non Deus eſt Numen Parcarum*
*carcere clauſum*
*Quale putabatur Stoicus eſſe Deus*
*Ille poteſt ſolis curſus inhibere vo-*
*lantes*
*Ille velut montes flumina ſtare iu-*
*bet*

De *Clepſydra* ſeu Aquatili, cuius inventio *Scipioni Naſicæ* tribuitur à *Cenſorino* & plura *Nicephor. Blemmides* in *Epitome Phyſicæ cap*. 31. ſic *Senator* in *Divinis Inſtitutionib*. *Horologium aliud, ubi ſolis motus ſine ſole cognoſcitur. & Aquis guttantibus Horarum ſpatia terminantur*: & *Symphos. in Aenigmat*.

*Lex bona dicendi, Lex ſum quoq; du-*
*ra tacendi*

*Ius*

Digitized by Google

*Ius avidæ Linguæ ſit s ſine fine loquendi*
*Ipſa fluens dum verba fluunt, ut Lingua quieſcat*

Eiuſq; Artificium plenè *Allatius* Vir clariſſimus depingit *de Menſura Tempor. cap.* inſigni *Petavii* doctrinam refellens *cap.* 7. & *Raderi* ſententiam *in Martial. Epig.* 35.6. Et videndi *Salmuth. ad Pancirol.* laudat. 2. 10. *ibid. Gualterius conſid.* 76. *fol.* 376. pernotando, id vas ingens fuiſſe in quod ſingulis dieb. ſinguli ſacerdotes numero tercenti & ſexaginta ad anni rationem quę apud eos habebatur, aquam ex Nilo, ſubductis intercalaribus quinq. detulerint, quæ ſuo emiſſa cavo per eius generis *Horologium* horas indicaret. Hodie paruulis vitreis aquæ ebullitæ ex peculiaris methodi ſtillicidio, cauoq; nec aucto, nec nimis patenti guttatim exhauriuntur. De eiuſmodi *Clepſydris* nonnulla *P. Diō. Petavius* in *Notis ad Syneſij Dionem fol.* 21. fuſius *Ant. Borremanſius Variar. Lect. cap.* 18. Ad cuius formæ perſimilem, & longe minorē *Clepſydram* Veteres olim declamaſſe

pro-

Digitized by Google

probat *Polletus* de *Romano Foro*. Quemadmodum Concionatores ſacri ad Arenarium ſimile plerumque hodie dicunt ex *Ferrario de Ritu ſacrar.Cōcion. lib.1.cap.ult.*& omnibus numeris ad eam menſuram Prædicātes Acatholici,quod pluries à nobis eſt curioſè obſervatum:

Summi Vir Ingenij ac ſingularis facundiæ Vir *Severin.Boetius* primus fuiſſe creditur qui librarum ponderibus *Horologium* in Vrbe compoſuit.*Caſſiodori* videntur illa docere ad ipſummet verba *Tibi ardua cognoſcere,& miracula monſtrare propoſitum eſt. Tuæ artis ingenio metalla mugiunt,Diomedes in ære graſtius buccinat, æneus anguis inſibibat, aves ſimulatæ cantilenam emittunt*, &c. Videndę *epiſ.45.& 46.Var. p. & Robert. de Fluctib.Apol.p.2.cap.*1.

Cuius quoq;uſus ex *Catana* Urbe per *M.Valerium Meſsalam. Coſ.* primo bello Punico Siciliam turbantem Romam adductus.*Fazell.1. Dec.lib.3.fol.*56.poſt *Plin.*7,60.

Nec ſilendum, poſt *Horologii* inventum *Roma* pueros olim ſervoſq;

*Horas*

Digitized by Google

*Horas* Dominis pronunciaſſe, teſtibus *Iuuen. ſat.* 10. *Martial. Epig.* 68. 8. *Sueton. in Domitian.* 16 ac *Seneca de Brev. Vitæ* 12. Ex quibus aliis, in templis horas enunciatas *Lipſius* probat *Elector.* 2. 18. Græcos quoq; ad id ſervis uſos prudentiſſimè, nè ut couſueſcunt, in Umbra aut alibi tempus tererent. Ex *Euſtath.* ac *Democrito* apud *Athen.* Id *Allat. cap.* 5. *fol.* 4. Hodie apud *Moſcos* nocte id agũt ſervi, & cuſtodes in ligneis turriculis. De *Horologio* cum ſedibus paganis læbactibus *Claudio Cæſari* dato, *Inſcriptio* extat *Gruteriana to.* 1. *pag.* 237. *n.* 6. eodemq; *pag.* 135. Solaris, aut alterius Inſtrumenti Aſtrologici in celebri *Auguſti Mauſolæo* in Campo Martio, ubi feſtorum Calendarium, & Fragmentum. Illi ſeptem gradus circum, lineæq; metallo aurato diſtinctę; poſt *Plin.* 36. 10. *Letus in Antiq. Rom Roſin. Nardin.* aliiq; Rurſus apud *eund. Gruterũ* 6. *folioq;* 6. de *Horologiarum templo Albæ Iuliæ* à ſolo facto Inſcriptio. De *Iuſtiniani* Cęſaris Horologio *Byzantii* condito *Cedren.* & *Codin.* ſatis refe-

runt

Digitized by Google

runt; & de æreo in apſide, Baſilicæ *Conſtantinopoleos* à *Iuſtino* II. erecto habetur *Epigram. Græc. tit.* poſtremo. Videndi *Artemidor.* 3. 67, *Caſſiodor.* 1. *ep. ult. Gell.* 3. 6. aliiq. quib. deferre videtur. *P. Bulenger. de Templis, Oper. lib.* 3. *to., cap.* 41. ubi in Templorum Campanili aut alibi *Horologia* iampridem conſtitui conſueviſſe ſcitè affirmat,

Per *Tintinnabulum Nolanum* autem *Horologii* inventorem latere *Pol. Virgil.* 3. 18. ſcribit, illud commendans uti iucundiſſimum inventum. Ex *Ægyptiis* tamen *Græciſq.* omnium Inventores *Guevara præfat. Horol. Princip. ad fin. Garzon. in Platea univerſ.* 80. *in fi. & Salmuth ad Pancirol. fol.* 744. commemorant: nilq. gratius *Romanis* ex *Varrone Plinio* ac *Cenſorino*. Horas quoq. diei eo medio diſtinctas à Pontifice *Sabiniano* ex ãno 605 *Volaterrã.* autumat *Anthropol.* 22. quod pænitus adprobare non audemus, putantes, ex æneo ſono ſacris noſtris invecto, paulatim rotas ad horas eiuſdemq. rei ſacræ gratia deſignandas adiunctas. Quod cõmodum

dum odij cauſa erga *Tintinabula* *Turcæ acerrimi hoſtes* noſtratium neglexere. Qui ſacerdotum quidem (ut placet appellare) proclamationibus in Templorum, ſeu Meſquitarum Turribus, digitis aurib. obturatis, Gallicinio, Aurora, Meridia, tertia ab hac, noctiſq; crepuſculo cũ Arabicis quibuſdam vocabulis auditis lõgiſsimè ſupplent. Narrantibus id præ multis & explicãtibus *Conſtant. Porphyrog. de Adminiſt. Imper. cap.* 14. *Georgeoq; Cedreno in ſynopſi Hiſtor.*

Porrò à *Solaribus* communia hæc per *Tintinnabulum* aliquantulum diſcordare, ad ſemihoram ſcilicet tardius pulſando, vel moſtrando in hyeme, per quadrantem circiter, & ultra in temporibus mediis; Ea nimirum ratione, quia pulſatur decimaquarta poſt ſolis declinationem. Cui diſcrepantiæ *Gregor. Pontifex* XIV. occurrere meditabatur, ut ex pulſu vigeſimæ quartæ in Solis occaſu, cunċta convenirent, non expectato decreſcentis lucis ulteriori termino. Morte præventus tamen id perficere nequivit, ut *Rev. P. Clavius* Papa-

li

Digitized by Google

li oraculo reſciens, monuit *Theodos. Rubeum* ex quo didicimus in *Horar.* ſuo *Eccleſiaſt. Univerſ.* 30. 5. *fol.* 631. Quemadmodum in *Horis* numerandis *Romanorum* à noſtris diverſi mores poſt *Dion. Gothofred.* in notis *ad l.* 1. *ff. de verb. ſignif. Georg. Maiſman.* monet *in Miliograph. fol.* 71. *n.* 25.

In ſimilium *Horologiorum* fabrica plurimi Artifices, ut aliquantiſper ſupra deduximus, ſeſe celebres reddidere. Perfectisſima & muſicos ſonos modulantia *Galliſq.* cantantib. in utraq; *Germania* viſa à *P. Roccha*, & à Nobis nonnulla pulſata, ut ſupra *cap.* 3. meminimus. Ars mira in *Argentoratenſi* Baſilica, & in Turri, ad quam per gradus tercẽtenos & ultra aſcendimus. Homines ibi perſonati magnæ ſtructuræ eximięq; ſtaturę ex *Braunii* relationibus fide dignis per nos repertis *to.* 1. *fol.* 33. Artificioſa, *Valentienæ*, *Cameraci*, *Gratianopoli* *deſcribit Golnitius in* *Ulyſſe Belgico-gall.* Maioris artificii atq; Elegantiæ *Lugduni Gallorum*, cui eo in Regno haud ullum æquandum. Horas, dies menſes, curſum ſolis ac Lunæ monſtrans

ſtrans,& ubi Leo movet Linguam, impiam refert *Hugonotarum* rabiem anno 1562. illud corrumpentium ac deformantium; quod tamen poſt annos triginta octo, *Henrici IV. Regis* Comitis, ibiq; Canonici, fauſtis auſpiciis reſtauratum. Nec ſpernendum *Venetum* a duobus effictis ex ære Mauris pulſatum, de quo *Sanſovinus* Hiſt. anni 1496, & *Senenſe* in ampla & curioſa platea, à ferrea quadam virili Statua, vulgo il *Măgia*. In Pontificio *Quirinalis* Collis Palatio, pro eius ornamento & Aulicorum commodo, *Urbani Papæ VIII.* munificentiã tribus *Campanis* per ipſum benedictis, græco nomine cuiq; impoſito quibus earum explicabantur munia, pulſatio videlicet *Horarum* integrarum, earumq. quadrantum, cum *Tintinnabulo* maiori pro Horis, ac minori pro ijsdem quadrantibus, Turriq. in frõte peryſtilij. Elogio id notavit *Theodos. Rubeus* ubi ſupra 6.25. *fol.* 35. Aliud pulcherrimum in *Ædibus Barberinis* ubi duo commorantur *S. R. E. Cardinales*, Princepſq. Preneſtinus *Horo-*

lo-

Digitized by Google

*logium* tribus grandioribus *Tintinnabulis*, quibus horas quadranteſq; deſignat diſtinctum: minoris aliæ ponderis habet ad harmoniam ſingulis quadrantibus gratiſſimam. Cui ſimile plenis numeris ſonum edens apud *Illuſtriſs*: olim *Proſperum Pagnanum I.C.* ac Præſulem magni nominis vidit *D. Carol. Peregrin.* ut in ſuo iam laudato *Hiſtoricolegal. Muſæo p. 2. fol.* 13. *Mantuæ* celebre illud Clari Aſtronomi *Bartolomæi de Manfedis*, magnificum *Ludovici Sfortiæ* monumentum in excelſa *platea ac Mercatorum Turri* amplius non extat, infeliciſſimo prorſus fato. Cum Rotis dentatis quamplurimis Lunæ ac Solis domos & motus egregiè oſtendebat. Duodecim ibi veterum Matheſeos profeſſorum imagines pictæ. Auroræ, inde ſolis ortus *Tintinnabuli* pulſu curioſiſſimè indicati: Sic meridies mediaq. nox ſonitu *Officialis* dicto. Corpora cæleſtia, & alia non pauca artificiosè explicabantur: quemadmodum eruditus *Petrus Adam* effusè; per tranſennam vero in *Commentar. Mantuanis Ma-*

*rius*

Digitized by Google

*rius Equicola lib. 3. in fi.* ſignificant.

Inter plurima *Bavari Electoris Monachii*, unum prorſus mirabile, exileq; ſubtiliſsimi artificii ut loco gemmæ in annulo geſtetur. Multiplicia vidimus iucundè in rariſsimo Auguſtoq. *Leopoldi Cæſaris* Cymeliarchio; inter quæ mutum illud, quemadmodum appellabant, & lampade occluſa nocturnis horis perlucidum, quod *Eminentiſs. Franciſcus S. R. E. Cardinalis Bonviſius* tūc *Apoſtolicæ Sedis Nuncius*, nunc verò *Lucenſis Epiſcopus* Maieſtati Suæ dono obtulerat, & nobis eo tranſeuntibus. Itali artificis ſummo planè ſtudio elaboratum, à *Germanis* iis pluris habitum quam alia cuncta. Perfectiſsima nonnulla refert eod. loco *Allatius*; & de ingenioſiſsimis in *Germania, Gallia, Belgioq. P. Caſpar Schottus in Prolegom. ſuæ Magiæ Univerſal. p. 1. lib. 1. cap. 6.* Sæpiſsimè apud eas Gentes, ut iam pernotavimus, utraq. grandiora ſcilicet, ac minora ludunt *Tintinnabula*: imò aliquoties & horis indicandis & feſtis monendis præſcripta.

In

In Aſceteriis *Germanorum* aliquibus ad privatum Monacorum commodum, cum ligneis Rotis vidimus, quas ad curſum aptiores & pulveri minus ſubiectas, & à consuetis forſan Artificum mendaciis magis tutas audivimus iucundisſimè. Conſulendi *P. Clavius de Horolog. P. Felix Felicius de Horolog. Mecanic. Iutius Capitolin. de Sciotericis, Voellius de Solarib. Sandolinus, Valentinus Vimercatus Paduanus, Oddus, Gallucius, Palladius*: & plura de *Horographia* quanquam laconicè, non tamen aridè in libello inſcripto *Indiculus Univerſalis Rerum omnium quæ in mundo sũt, Sciẽtiarum Artiumq.* per *Reuu. PP. Societatis Lugduni 1679. fol. 195.*

*Hiſpani* gravioribus dediti paruulo Rotario aſſueti, & quammaxime in Aula moderati, ſerius utile hoc mechanicum recèpere; ſatis eſſe forſan putantes in domorum faciebus *Solaria*, ut *Vindobonæ*, ſeu *Viẽnæ Auſtriæ* etiamnum frequentisſima, ubi quoq. in Biviis ac Plateis, Precones nocturni ad mediam uſque noc-

tem

tem Horas deſignant, Deo gratias agendum, & ab Incendiis non raris cavendum ſedulò monent. Hinc de *Horologio Tintinnabulato* in Regno *Caſtellæ* primum recepto ſub *Henrico III.* ibi Rege in *eiuſd. Hiſtor. cap.* 64. *Gundiſaluus de Auila.* Et *Cęſarauguſtanam Turrim* de qua iam Nos ſupra, atque non tam ex patriæ affectu quam meritò, velut ubiq. Terrarum illuſtrem, quam omnes Hiſpaniæ aliarumq. Provinciarum excellere ferũt, *D. Michael Ant. Frances de Eccles. Cathedral.* 24. 41. exornat eloquio, additq. in preſenti locum præſtare optimum *Horologio* maiori, pullare procul audito in oppido *de Muela* duodecim milliaribus Urbe diſtanti. At, In Auguſto *Eſcurialis* templo ac cænobio *Organum* ex pluribus adeſt *Campanulis* conflatum, horis deſignandis aptisſimum. Sic *Mantuæ Carpentanorum* in *ameno D. Comitis* de *Mōterey* viridario *nel prado di S. Geronimo* aliud novisſimum, ex vigintiquatuor *Tintinnabulis* valde armonicum. Apud eoſdem *Hiſpanos* in cuiuslibet Cancellariæ,

ſive

ſive Auditorii domo habendum ex Iurib.Regni *l.3.tit.5.lib.2.novæ Recollet.*ex iiſque *Narbona* operis laudati *hora 7.nu.31.*ubi, quod Civitatum Decuriones certis ſemper horis ad Concilium accedere teneantur ex *Bobadilla in Polit. 9.7.6.*

Pulſari Horariũ *Neapoli* in *Magna Curia Vicariæ* flebili quidẽ ac mortifero ſono,quaſi monitorio,cum quis ad extremum ducitur ſupplicium.Ex praxi antiqua,& *M.A Surgentis* fide in ſua *Neap.Illuſ.* 1.11.13. quod tacito Eccleſiæ conſenſu fieri præſumitur,cum publica ſimiliſq.pulſatio locum denotet ſacrum *Cap. patentib.de Privil.*ſępiſſimè laudato.

In Regno *Sinarum* ſeu potius *Tartaroſinico* Imperio,fælici fauſtoq. Patrum Societatis ac Religionis Ingreſſui *P.Marco Riccio*, Maceratenſi, Duce, *Horarium Tintinnabuli* ſeipſo pulſantis titulo *Cymbalũ*,& *Conſpicilliũ*,tria inſtrumẽta ibi penitus nova reperta,& libẽtiſſimè cũ adpetẽtibus admiſſa.

Apud *Perſas* in Regali Urbe *Hecatopolis* ſeu *Popaã* ſupra januã *Kaiſerie* vel

Aulæ

læ Mercatoriæ, *Horologium* adeſt *Campanarium*, Anglicanum nec vetus opus. Ut ex anno 1666. ocularis teſtis *D. Adam Olearius* Gallus.

Ruſtici tantum, viliſq. plebecula Tintinnabuli ſignum minimi facit; iis enim vigilans, ſemper in ventre Horarium, ineffabiliter Horam referens, tentandi, prandēdi, anticęnium ſumendi, cænitandique, ſicut nominatim perbellè *Thom. Gurzō.* in dicto *Plateæ Univerſ. cap.* 80. *in fi.* & de *Diogene* congruam dixiſſe cuique ſcribit *Laertius* cibi capiendi horam ſi habeat, cum eſurit; ſi non ſuppetat, cum habere valeat. Plura in *Convival. Stuck.* 1. 12. *fol.* 27.

*Horologium* itaque privatorum ac publicorum eſt munium index. Cujus quodlibet unicuique arbitrarium eſt ſumere pro regula, at non recedere ab illo cum Tertii præjudicio, ut Iuris Interpretes dicunt. Textus *in l. ſicut de Act. & Oblig.* aliis enim videtur ceſſum uno accępto *l. poſt diem* 7. *ff. de Leg. commiſſ. l. cum ita Legatum* §. 1. *ff. de condit. & demonſtr. Grat. diſcept. to.* 1. 152. 12. &

*Novar.quæſt.for.*1.44.5. Quibus eleganter ac ſcitè *Card.de Lugo* diſp.15. *de Sacram.ſect.*2. addit, relinqui minimi valere,cum pro Eccleſiaſtici Ieiunii regula eſt deſumptum.
Teſtis eſt Horæ ex eodem *Narbona* hora 12. 23. Hinc ubi unicum tantũ exiſtit, *Euchariſticæ menſæ* die ſequẽti acceſſurus, primo duodecimæ horę nocturnæ,ſive medię noctis pulſu, juxta Regionum conſuetudinem, audito, non debet ſtatim à cibo ac potu abſtinere, ſed ad ultimum valet pulſum manducare. Hoc rationabili modo ſentiente *P. Leandro Quęſt.Moral.de ſacram.t.*2.*q.*6.*tract.* 7. adverſus *PP.Sanchez, Dianam*, alioſq; nimiũ ſcrupulis actos. *P. autem Paſqualig.* in ſuo celebri de *Iejunio* tuetur quod, qui jam cæpit comedere paulo ante majoris *Tintinnabuli* pulſum ultima die Carnis privii, ſacros cineres præcedente,procedere ac complere valeat. Vndè laudabilis alicubi, ut *Lucæ* in Etruria mos, ut publicus hujuſmodi pulſus, per unum tunc vel alterum quadrantem mediam noctem præcedat.
Et

Digitized by Google

Et regula eſt Prudentum, quod plura *Horaria* ſe habeant ut probabiles ſententiæ, quarum alteram, ad culpam tutè effugiendam liberum ſequi eſt cuique, ut in proficuis. Ita *Parlador. quæſt. quotid.* 9. 10. Declarat nihilominus *Narbona hora* 24. *nu.* 36. id procedere cum tantum adſunt duo: quod ſi plura, idem judicio firmandum ac de teſtibus, quorum vincentium fides eſt ſequenda. Et *n.* 35. primo ſtandum dicit; ſi Reo ſit favorabile.

Quæſitum eſt de *Horariæ Turris* donatione utrum ſub Eccleſiæ compræhenſa? Et reſponſio affirmativa cum *Tintinnabulis* tanquam contentum in continente, dumodo ibi pendeant: ſecus tamen ſi conſecranda, & abſque uſu jaceant in templo. Idem quoque de *Venditione*; Verum in utroque contractu qualitas requiſita cum *omnibus ſuis pertinentiis*, alias minimè. *Tex. in l. ad rem mobilem §. qui Procuratorem ff. de Procur. l. item ſic §. qui autem habet ff. de ſerv. præd. ruſt. l. avib. ff. de leg.* 3. quas adfert *P. Franciſ. Bordon. deciſ. miſcell.*

 254.

254.*fol* 220.*&* 231.

Cum autem *Horologii* commodū ſit univerſale, neceſſarium, utileque ad Reſpublicas ordinatim ſervandas ex *Guevara* ubi ſupra; ad ipſius manutentionem Iuris Interpretes volunt omnes adſtringi, non modo Urbis vel oppidi habitatores, verum Incolas qui in Communitatis terminis ſibi ſedem fixere, contribuendo ſcilicet ad expenſas æqualiter pro rata. Sic ex *l.Pupillus* §.*Incola ff.de verb.ſignific. Caſpar* Klochius *de Contribut.tit. de Collecta pro refectione &c.cap.9.verſ. ex eodem puteo nu.* 77.*fol.*224.ad *Text.in l. Ad portus C. de Operib.Publ.* ubi expreſsè ſancitum quod Portibus, Aquæductib. Muriſq; publicis quilibet tenetur, & ex paritate rationis *Horologio* reparando quod univerſalem utilitatem reſpicit. Quæ munia omnes ſubire debere, habemus ex apertis textibus in *l.ſi quis ff.de Muner. l. Lucius Titius ad Municip.l.his oneribus ff.de vacat. Muner.l.omnes* 12.*C.de Oper.publ. l. ad inſtitutionem* 7.*C.de Sacroſ. Eccleſ. l.*2.*C.de Muner.Patrim.lib.*10.*eodem-*

*que*

Digitized by Google

*que l. per Bitiniam C. de Immun. nemini conced.* Optimè *Peregr. conſ.* 102. *nu.* 5. *lib.* 1. qui nullum privilegium, ſive Minorale, ſive Muliebre, vel ex Liberorum numero excuſare affirmat. *Idemque conſ.* 55. *num.* 5. *lib.* 5. *Menoch. conſ.* 800. *Roland. conſ.* 84. 18. 2. *Bardellon.* 132. 52. *aliique ex dicta l. ad Portus cum ſimilib.* Additque *Aldovin. conſ.* 59. *per tot.* expenſas pro ſimili inſtructione, refectione vel cuſtodia & Aequatione, reſarciendas omninò per Civitates, Oppida exterioreſque Communitates ac Villas quaſcumque quę commodum inde percipiunt: Quod ſequitur etiam *Klochus ibid. nu.* 93. *pag.* 225. Et Collectam per æs & libram, juxta facultatem ſcilicet Patrimonii, imponendam, ſicque debitores præfatos cogendos *Pacian. conſ.* 7. *num.* 51. *& ſeq. Borgnin. Cavalcan. deciſ.* 22. *nu.* 7. *p.* 2. *& Florez Diaz de Mena q.* 2. *nu.* 100. *& ſeqq.* cenſuere.

Id de Iuris rigore, & ſi nulla vigeat conſuetudo: quæ foret ſervanda, tam in refectione quam in confectione. Aliàs, cunctos teneri qui ex

eius *Horarii* ſono commodũ percipiũt. Sic *Megalius* in *Prõptuar. Theol. to.1. verbo Cãpana n.3. pag.*417. quod æquiſſimũ videtur, & de quocumque citra temporis menſuras neceſſario *Tintinnabulo* ampliativè concludendum. At fuſius *Genuenſ. in lib. Pract. Eccleſ. q.*248*.n.*6*. Io: Petr. Actolin. Reſol.*47*.n.*69*.& ſeqq. Tondut. Sanleger. Quæſt. & Reſol. Benefic. p.*3*.c.*133*. Bened. Pereyra in Academ. ſeu Republ. Literar. lib.*10*.q.*2*.n.*1685*. Nicol. Inſtit. Canon. & Rota coram Ninot. deciſ.*68.

*Philippus* autem *Knipſchildius* de *Iurib. ac Privileg. Civit. Imperial. lib.*2*.cap.*16*.nu.*20*. &* 4.20.54. conſuetum indigitat pro *Tintinnabulorum* ſonitu certam quandam pecuniam corradi, ut ea inde conſervari ac refici valeant. Imò de Iuſtitia pro *Horologiis* comficiendis vel reficiendis collectandi etiam Forenſes 2.17.79. poſt *Sixtin.* ac *Bocer. de Regalib.* Nos ipſi, poſt *Sanleger.* in Tractatulo noſtro Iuridico de *Diſtantiis cap.*6*. memb.*6*. ſub num.* 15. Populum ex commodo per ea percæpto convocationis ad Divina, de ſimilib. im-

pen-

penſis nonnihil conferre debere probare conati ſumus. Et de periculo portis apertis clauſiſque illorum ſonitu vitando *Zach. Frindenreich. Polit. cap. ult.* Eadem plane regula de *Horologio* alioque opportuno *Tintinnabulo* rationabiliter diſceptantes & concludentes. Quorum cura potiſſima eſt habenda Magiſtratui, ex *Polit. ſyſtem. Keckerm. 1. 21.* ubi *Horologiorum* gubernatione Reipublicę adminiſtrationem æſtimari, Germanicum Adagium. Si non abſolutè, plurimum profectò ad politicum regimen ubique, directio illa cõfert.

## CAPUT VI.

*Benedictione Sacra Iure Inſignitum.*

NOlani Tintinnabuli Baptiſmum, quem minus propriè Ineptiorum Vulgus appellat, Acatholici exprobrant variiſque dicteriis dedecorant. Impropriiſſimè autem haudquaquam illi, ſicut hi: ſiquidem *Baptiſmus* eſt ablutio, ad Sacramenti decus tamen evecta, & abluitur *Tintinnabulum*, non verò Sacramentali di-



Digitized by Google

dignitate decoratur. Saniori vocabulo ritus ; ſuper illo ab Eccleſia adhibitus, *Benedictio*, & quodammodò *Conſecratio* appellandus. Antiquiſſimus profectò, quem nonnulli parum ſolido fundamento innixi, à *Divo Paulino* derivant, cujus nutu, vel ope inſtrumentum hoc ſublimius contendunt. De tempore, ultra Scriptorum veterum memoriam, *Hosſius* Cardinalis perdoctè, contra ſceleſtiſſimum *Hæreticum Brentium*, in *Prolegomenis* calamum perſtringit. *Benedictionis* verò titulus & vox, à *Gregorio* uſque presbytero, qui ſub *Magno* Eccleſiam Sanctiſſimè gubernante, fæliciter floruit. *Del Rio Diſquiſ. Magic.* 6.2. plureſque apud *Barboſ.* in ſuo Eruditiſſimo Voto 102. 25. Nec prætereunda *Alcuini*, *Bedæ* Auditoris vel Diſcipuli, in de *Divin. Offic.* verba hæc *Neque novum videri debet Campanas benedicere & ungere, eiſque nomen imponere; Nam & Geneſ. 28. Iacob memor viſus ſcalæ ad Cælum uſque pertingentis, tulit lapidem, quem capiti ſuo ſuppoſuit, & erexit in titulum, fundendo oleum de-*

*ſu-*

*ſuper, appellavitque nomen Urbis Bethel, quæ prius Luza dicebatur*. Tanti Viri excellens Doctrina Cæſarea *Caroli Magni* pręſentia digna facta. Videantur in puncto ipſius *Capitular. 3. anni 789. num. 18. vol. 1. Capitular. Reg. Francon.* ex *Balutii* recenſione purgatiori *pag. 244.*

Primum enim ferunt *Benedictionē* hujuſmodi introductam cū *Io: XIII.* Pontifex in Urbem rediit, grandiuſque *Lateranenſe Tintinnabulum* ſuper Turri elevari juſſit, recens ære fuſum, nomineque ſuomet nuncupatum. Indicium *Cardinal. Baronii* fidè probatum *anno Chriſti 968.* ac *to. 10.* ubi expeditè *Spondan. n. 4. Durād. de Ritib. 2. 22. 6. Beyerlinch. in Theat. Vitæ Hum. verb. Benedictio. Cobell. in Notitia Cardinalat. cap. 58. circa fin. verſ. nec prætereundum fol. 315.*

Ampliſſimè tamen de hoc Ritu *Rodulphus Hoſpinian. 4. 9.* de Templis edit. nova Genevenſi 1669. qui de *Trevirenſi Tintinnabulo* in honorem *D. Benedicti*, ejuſve nomine in Monaſterio proximo *D. Matthiæ*. anno 1325. fuſo. Idemque plenè ad ma-

teriam 2.26.& in *de Monachis*: quemadmodum conſulendus *D. Brunus cap.3.de Cæremoniis*, ac veluti ſpirans Bibliotheca ex Illuſtri Ordine *Cler. Regul.* P. *Ioſeph Maria Cari* per quã dignus *P. Thomaſi* nepos.

Quod hodie nova *Tintinnabula*, ſolemnitate in *Romano Pontificali* ſancita, benedicantur, pro Eccleſiis Cathedralibus in Civitatibus ſingulis, Collegiatis, Plebibus & Conventualibus Diœceſum quarumque, notant *D. Andr. de Sausſay Panopliæ Sacerdot. p. 2. lib. 2. cap. 6. n. 22. fol. 605. Pax Iordan. Lucubrat. diverſ. lib. 5. 14. Io: Bapt. Rinuccinius della Dignità & Officio de' Veſcovi p. 1. cap. 10. fol. 231.* & poſt alios *Gonzal. in cap. Patentibus* 10. *de Privileg.* Qua in Sacra Cæremonia cauſæ omnes phiſicę adſunt, Materialis nempe in Vaſis ęneis ut diximus vocatis; Formalis in Ritibus precibuſque præſcriptis. Efficiens eſt Miniſter, Epiſcopus ſcilicet vel Abbas conſecratus, Finaliſque Cleri ac Populi ad munia Divina Sacraque convocatio, ut practicè diſtinguit *P. Paul. Maria Quartus*

poſt

poſt ſuum Tractatũ *de Proceſſionib. & Litaniis* in de *Sacris Benediction. tit. 2. ſect. 12. prælud. 1. fol. 63.*

Ritus vero ab Eccleſia in hoc diffinitus eſt hujuſmodi. *Tintinnabulum ab Epiſcopo*, vel *Abbate* cum ſubſtitutis miniſtris integrè abluitur ſeu lavatur, mundoque linteo extergitur, dum aliquot ab ipſis recitantur Pſalmi. Deinde ipſe, cum dexteræ manus pollice, de Oleo Sancto Infirmorum ſignum Crucis efformat extra & ſuper illud; Quo acto, precibuſque ad id ſpectantibus recitatis, cum linteo mundo ſignum Crucis ab ipſo effectum extergitur, itemque cum Pſalmo Antiphona recitatur. Ipſe poſtea cum eodem pollice ſeptem exterius ſuper illud quoque Cruces efformat, intra verò cum Chriſmate quinque, verba hæc proferens: *Sanctificetur ✝ & Conſecretur ✝ Domine ſignum iſtud, in nomine Patri ✝ & Filii ✝ & Spiritus Sancti N. Pax Tibi.* Aliiſque recitatis precibus ad mirabilia impetranda ex Divino beneplacito, ſupponitur Thuribulum, & alia Antiphona cũ Pſal-



Digitized by Google

mo legitur. Deſumpſimus ex ipſo *Pontificali*, Votoque *Barboſæ* landato *lib.3.to.2.nu.3*. aliquantulum admirati de hac materia Parochum Gallum anonymum prorsùs eruditiſſimum ſilere in libello inſcripto *Tradition de l'Egliſe ſur le Benedi-tions. Toloſæ anno 1679. in 8*.

Diximus *ab mirabilia obtinenda*, cum ex eo benedicantur vel conſecrentur *Tintinnabula*, ut Militantis Eccleſiæ Tubæ ſint, quibus populus ad verbum Dei audiendum vocetur, Dæmones eorum tinnitu Fideles ad preces concitantes terreantur; flectimus enim tunc genua ad Patrem, Tempeſtateſque ſuſpendantur. *Id. Pontificale*. Fusè ex Patrum ſententia *Colonienſis Synodus 3. cap. 14. to. 3. Concilior. fol. 807. Petrus Cluniacenſ. p. de Miracul. cap. 13.* plura adferens prodigiorum ſigna. *Novarin. Schediaſm. cap. 27. Suarez adverſ. Regem Angliæ lib. 2. cap. penult. & in Defenſ. ead. 15. 6. Baron. tom. 8. anno 615. nu. 14. Galganett. de Iu. Publ. lib. 3. tit. 62. nu. 2. fol. 251.* Uberrimè *Fagnan. in cap. Cuſtos Eccleſiæ nu. 6. de*

Of-

*Offic. Cuſtod. doctiſſimèque P. Theophil. Rainaud. Oper. tom. 15. ſeu Heterocl. Spiritual. to. 1. fol. 44.* & priùs *Oper. to. 2. Pontific. fol. 371.* Pluraque de hujus Ritus fructibus cōgerunt *Ant. Aug. par. 2. lib. 16. tit. 10. Bellarmin. to. 1. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 22. verſ. 29. & lib. 3. de Cultu Sanctor. cap. 7. Landmeter 2. de Vet. Cler. p. 1. cap. 64. Torrebl. de Iu. Spirit. 12. 17.* aliique apud *D. Aegid. de Caſtejon in Alphab. Iurid.* ac *P. Cæſar. Franciotti* in ſuis Miſticis.

Vulgarem eſſe prorſus errorem, ut dicebamus *Baptiſmatis* nuncupationem preſertim apud *Gallos Baron.* docuit anno præfato 986. to. 10. *pag.* 810. Editionis Romanæ: unde ſi *Clochas* baptizare vetuit piiſſimus *Carolus Magnus*, id interpretandum de ritu ſuperſtitioſo, non autem noſtro benedicendi Catholico, ut poſt *Del Rium* & *Beyerlinchium* ubi ante *Io: de Sancta Maria* egregiè in *Triũpho Aquæ benedictæ 3. p. cap. 2. nu. 4. Durant. de Ritib. d. cap. 23. 6.* aliique oſtendunt nō pauci. Et *Iuo Carnotẽs. Baptizari* templum pro *conſecrari*

ufur-

uſurpavit *ſerm. de Sacra Dedic.*

Nil officiens impoſitionis nomen, ut fidei garriunt hoſtes, cum id fiat ex tutela Sanctorum, vel ut ipſa inter plura diſtinguantur ex *Rainaudo* ubi proximè *num. 9.* Etiamſi, ex majori quadã ſolemnitate apud Hiſpanos, ad ritum *Patrini* admittantur, quemadmodum *P. Roccha* retulit fol. 52. Et pleniùs fortaſſe Nosipſi in Lucubrationibus quas de ipſis meditamur: Qui *Patrini* ad ſignificandum quod vas vulgare ſit conſecratum, ipſi *Tintinnabulo* manum imponunt, & aliquo nomine donare illud ſolẽt, ut uberiùs *P. Franciſc. Carriere* in *Fidei Cathol. Digeſto vol. 2. fol. 618.* Cui immaniſſimæ hoſtium Hæreticorum calumniæ ac lapidationi, cũ prȩclaris *D. Auguſtini* textibus valemus occurrere, *Epiſt.* ſcilicet 28. *cap.* 5. in qua: *Si quid,* inquit, *per totum Orbem obſervat Eccleſia, quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*; Quia nimirum, ex eodem alibi *Non eſt credendum inaniter fieri ubi Univerſæ Eccleſiæ claret Auctoritas.* Et ſolidiſſimus *P. Gretſe-*

*rius*

Digitized by Google

*rius* de *Benedictionib.* 2. 46. Calvinicolæ *Hoſpiniano* pro *Tintinnabulorũ* effectibus quidem miris exibilanti, cur non ſemper pulſentur, lepidè ac doctè reſpondet, ſicque indeſinenter *Prædicantibus* ipſis Conciones habendę: proſequiturque in iiſdem effectibus deſcribendis. Poſſetq; addi ſtatis horis pulſum haberi pro continuo, cum hoc modo ex majorum ſententia videamur ſemper preces fundere.

Fulciuntur quoque Iura noſtra adverſus Religionis audaciſſimos æmulos ex eo quia in *Leodienſi* apud Eburones olim *Paſtorali*, ante plura ſæcula ſcripta legitur formula de *Tintinnabulis* benedicendis. *Io: Chokier* meminit in *Face Hiſtor. centur.* 2. cap. 48. de qua & multus eſt *Binsfeldius in Tract. Conf. Maleficior. pag.* 341. Veteres adhuc *Rituales* plures.

Invadente etiam Lue, ad optatam curationem, capiſtra aut *Tintinnabula* Quadrupedum allata, *D. Theodorum* Archimandritam benedixiſſe, ſcribit *Georgius Presbyter.*

Poeticis hinc ſalibus morem hunc

*An-*

Digitized by Google

*Angel. Florentiola* Etruſca patria, ac lingua in *Rithmo* ſuperius laudato, *Organorum* poſthabens concentum, *fol.* 128.

*Gli Organi ch'anco lor ſan sì ben come*
*Si dica il Veſpro, e le Meſſe cantate*
*Non hanno queſt' honor ſopra le chiome.*
*Che le lor canne non ſon battezzate*
*Nè nome hà l'una Pier, l'altra Maria*
*Come hanno le Campane prelibate*

Munus id benedicendi eſt *Epiſcopis* iniunctum, poſt eius tamen Conſecrationem ex uſu Chriſmatis eo tempore ſibi demandati. *Caſtald. in praxi Cæremon.* 2. 12. 5. & præ multis benè *P. Layman. in cap. cum inter ſub nu.* 4. *de Elect. & in cap.* 1. *ſub nu.* 3. *de ſupplenda Neglig. Prælat.* Ipſeq. in hoc poſtremo *cap. ſub nu.* 17. *in Corollar. pag.* 493. oſtendit, quando *Epiſcopus* facultatem hanc *Abbati* conferre valeat in ſuis Eccleſiis: qua in re Declarationes tradit plures *Barboſ. in Apoſtol. deciſ. Collect. verb. Benedictio* & poſtea *Baſſæus* in *Florib. Theologic. verb. eod. nu.* 5. Ex privilegio pecu-

cu-

culiari Sedis Apoſtolicæ ſimpliciter poſſe *Abbatem* impertiri *Tintinnabulis benedictionem* à ſacra Rituum Congregatione reſolutum *P. Nicolius* aſtruit in ſuis *Floſculis tit. Abbas nu.* 5. Et pro Eccleſiis alienis, eiuſdem Pontificii indulti gratia, tuentur *P. Diana p. 3. tract. 2 res.* 15. *fusè Tamburin. de Iu. Abbat. diſp.* 11. *q.* 3. *& diſput.* 23. 2. *ac Paul Maria Quartus d. Tract. de ſacris Benedict. tit.* 1 *dub.* 6. De aliis Regularium Prefectis *Pellizzar. in manual. Regul.* 8. 6. 105. *to.* 2. *Baron. de Citat. to.* 2. *in Add. ad. q.* 10. *nu.* 6. *& to.* 3. *in Add. ad. cand. n.* 6.

Urgere præceptum de illo benedicendo forma iam deſignata; alias abſq; hoc ritu elatum de Turri Campanaria de ponendum, etiam per Regulares *Andel. Auda in Theat. Regular. verbo Campana nu.* 4.

Imo Epiſcopum poſſe indicare ne huiuſmodi *Tintinnabula* pulſentur; ex ſacro *Concilii Tridentini* Sanedrio probat *Barboſa* præallegato Voto *deciſ. nu.* 36. *in ſumma Apoſt. Conſtit. Collect.* 82. *nu.* 2. *& de Iu. Eccleſ. Vniu.* (quod poſtremum præclarum opus Ano-

nymi Auctoris plagium *Ianus Nicius Erithreus* cenſuit)3. 3. 68. Vetuitq. apertiſſimè, Benedictione minime precedente, incomparabile Prælatorum Eccleſię ſpeculum *D.Carol. Borromeus*, ut habetur in *Act. Mediol. p.4.lib.1.cap.24.pag.586.col.2.*

Maximè vero prophano uſui, cum ſunt eo modo conſecrata, nullatenus ahibenda, etiam ſi ex elatione in Turri prophana id Laici peterent. *Id. Barboſa de Offic.& poteſt Epiſc. Alleg. 27.nu.49.* lociſq. iam laudatis, preſertim quia ex abuſu non ſemel ſonum ad miraculum amiſſum *Cardin. Baron.* ſcribit *ad an.615. nu.* 14. Et in puncto *Armorum, vel Iugulationis*, aut *ſuſpenſionis* alicuius, Doctores claſſici defenſant. Excipitur tamen neceſſitatis caſus, deficiente ſcilicet alio *Tintinnabulo*, vel ad preces fundendas pro tranſitu pio alicuius damnati. Er ex *Epiſcopi* multo magis conſenſu, expreſſo quidem quod evertit dubium, tacitoq; in Antiſtitibus diſcretis faciliter præſumpto. Quibus circumſtantiis non ſemel decreviſſe, ac Iuris temperaſſe rigo-

rem,

Digitized by Google

rem Sacrum *Eminentiſſimo r.* Patrum Tribunal. poſt *P. Diana 6. Tract. 6. R. ſol. 37*, idem *Nicolius in Cōpēd. Epiſc.* verb. *Campana*, & in *Floſculis pag. 85.* Rurſus *Actoiin. Reſot. 46. nu. 59.* & in terminis *Seraphin*, decis 223; *nu. 1.*

## CAPUT VII.

*In Turri Campanaria elatum.*

UT ab omnibus audiretur, in altum efferri *Tintinnabulum Nolanum* cōgruum erat more fortaſſe ab *Hebræis* percæpto, ut in *ſchediaſmate* ſæpè laudato 4. 15. *Alloys. Novarinus* concipiebat. Percurrenda eſt doctiſſima *Card. Bellarmini Controv. Gen. 7. lib.* 2. Iſraelitæ ſiquidem Legis volumen in atgenteis imponebant *Turriculis*. cū duabus haſtilibus, circa quæ iliud volvebatur, pendebātq; ab ipſis *Turriculis Tintinnabula* Ex aſpectus torvitate, vel Hoſtium terrore nomen deductum Ethimologici affirmant; ſine quibus muriſve, à *Thebanis* habitatio neglecta *Homer. Od.* 11. ac *Cæs. Belli Civ.* 3. ſcribunt, earumq;

rumq faſtigium nonnullis inhibitum *Schonhorn. Polit.* 14. Ad muniendas igitur primùm Urbes, quę obviæ direptionibus erant, ut *lib.* 1. teſtatur *Thucydid.* cum muris extructæ fuere, & ad ipſorum munimen; quod de Thebana eadem civitate per *Zethum* ac *Amphionem* actum *Homerus Odyſſ. ibid.* ſcribit, ſeu ob *Phlegyarum* infeſtationes ut *Euſtathius* declarat. Sic *Troia* à *Laomedonte* circumdata *Neptuno* operam navante. Unde ob *Turres Eupigæ* ab inſigni Poeta frequenter Civitates appellatæ, qui *Turribus* aliiſq; propugnaculis Trojanum effingit munimen *Iliad.* 22 Et nonnihil addit in ipſius vita *Plutarchus*. Portēdūt autem *Turres* Magnificentiam & Gloriam in ædificiis illuſtrādis ac defendēdis, ut in Urbibus ſplendidioribus & ędibus magis antiquis, ac potentioribus olim Familiis patet, notātq; de *Genuenſi*, *Piſana* & *Gariſenda Bononientium Turri* cum altera ac tertia raro, ac mirabili quodam artificio prolabētibus optimè *Magius cap.* 16. Iconinſ. mos producens, *Beniamin* in *ſuo Itinerar*

*nerar.* idemq. *Novarin. nu.* 115. ac *Beyerlinchius in Theat.* De elegantiſſima ac duriſſima *Turri magna*, ſive *Romana* in ſummitate montis ſub qua fons, ac *Dianæ* ſubſunt templum: ubi ex opticis artificiis ſitus Urbis *Nemauſi* vel *Nimes* in Galliis *Golnitz in Ulyſſe Belgico Gall. fol.* 508. illud aptans *Herodiani lib.* 3. de *Byzãtio*, ubi eos notat qui Urbis deſtructionis erant ſpectatores, æquè fundatoris & Architecti admiratos fuiſſe. Aſſenrientes itaq; omnes *Virgiliano* textui de Caſtris, ibiq. Munitionis locis *Aen.* 9.

*Nec ſpes ulla fugæ miſeris, ſtant Turribus altis.*

*Nequicquam, &c.*

Ipſa quoq. templa apud ſuperſtitioſos Gentiles non modo editiori cõſtructa loco quod id cõvenit Diis, illum quaſi incolentibus, ac preſertim *Jovi* in *Ida* monte, ac in aliis Montibus ipſius *Iovis* nomine appellatis, *Melanthes* docet de *Satrificiis* ac *Homer. Iliad.* 22. quo *Pectorem* ſibi ait, plures ibidem boves immolaſſe. Verum & erectius faſtigiata *Aquilæ* voce

græca

græca, ipſam ſummitatem denominantes, *Pauſania* ac *Ariſtophane* in *Avibus* teſtibus, quorum alter, ut ſuã elogio efferret Rempublicã, cunctas domos, templorum inſtar, faſtigiatas fore præſcripſit. In magis editis etiam locis, quos *Bomos Græci* appellant cum *Homero*: *Altaria* verò, quaſi altas areas *Latini* ſacrificare Victimas ſolebant.

Hinc ad rem noſtram, in *Hiſpania* & *Africa* præſertim, & fere ubiq; in maritimis oris ex *Plin.* 2. 71. *Propter piraticos terrores prænunciativos, Ignes in eis accenſos.* Qui 3. 13. *Faſtigiatas Pyramides* (ſic *Turres* ad rem depingit) *ut in ſummo Orbis æneus & Petaſus unus omnibus ſit impoſitus, ex quo pendeant excæpta catenis Tintinnabula, quæ longius ſonitum referent.* Quæ iam recitata, hic repetere non piget. Per univerſum *Regnum Neapolitanum Philippi II.* Regis Imperio, *Turres* eademq; ſimili ex cauſa publice vigiliæ adverſus hoſtes, apud *Siculos* in *Poliarchi* Navi obſervatæ. Suppoſuit *Barclaius* in *Argenide*.

Studioſi admodũ idcirco Archi-

tecti

tecti: ac operoſi in iis *Turribus* magiſtri, ut longius ac melius *Tintinnabula* perſonent; quemadmodum in excelſa, ac ſingulari per univerſam Italiam obſervavimus *Cremonæ Turri* de qua nonnihil in eius Urbis *Ichnograph. Antō. Cāpo*, ubi harmonica ſeptem numero, quorum ingens admodum eſt maius. Apud *Patres Conventuales* verò celebris *Campana* vulgo *del Perduto*, exemplo ſanè laudabili, nocturno tempore tintinnando, quocumq. loco haud nimis disſito errantes advocat. *Inſulis* autem alibiq; ſuperius iam deſcripti concentus.

De *Turri quoq. Ravennatenſi* orbiculari, elevataq. fulminis ictu anno 1591 imminuta, ubi *Aera* quatuor numero ponderoſiora nuper refuſa 1658. Ibiq. huiuſmodi Inſcriptio

*Turris hæc excelſa Urbis exultantis Ravennæ*
*Feſtivas æmulata lætitias ob Virginis Mariæ ſimulacrum*
*Stellato mox coronandum diademate*
*Linguis dum applaudebat æneis, ſim-*

*ſummoq. è vertice*
*Triumphales quaquaverſum eru-ctabat ignes*
*Protinus homuncionis in curia te-mulenti*
*Tota funeſtis conflagravit ignibus*
*At mira Lucæ Torrigiani Archie-piſcopi liberalitate*
*Phæniceo velut ab incendio in priſti-num redacta ſtatum*
*Tam munifici Reparatoris glorias & encomia*
*Quaternis fere loquacibus bombis ceu totidem famæ tubis*
*Ad poſteritatis aures æternum per-ſonabit*
*Ita Fab. Zanchus Raven. Canon, & Arcimiliarcha*
*Felici fauſtoq. omine divinat*
*Anno ſal. M. D. CLIX*

Nonnulla de *Turri* antiquiori *Phari* nomine in portu *Herodianus* tradidit, ac per *Hieron. Ruaeum* per-totavit Italicè *D. Hieron. Fabri nel-le ſagre Memorie di Ravenna antica p. 1. fol. 60*

Sic Turritana Provincia ſeu *Turris Libiſſonis* in *Sardinea* nomen à Tur-ribus

rum ratione, quod *Tyrrheni* Regionis incolæ domos in Turrium formã ac morem ædificarent. Quod ex iis Auctoribus tradit *P. Petrus Io: Cantelius Hiſtor. Urbium Metropolit. 3. 6. 7.* qui de Metropoli Neapolitana, quando erecta, & an ibi duo Epiſcopi, Græcus, & Latinus. Videndus ipſe *p.* 3. Pariſienſis editionis anni 1684.

Cui præſtantiſſimæ, ſacrarum præſertim ædium, parti, nec *Turcæ* adverſantur; Altiſſima enim Turris in *Mechæ* Urbis meditullio ad *Sanctæ Sophiæ* templum, *D. Helenæ*, *Iuſtiniani* aliorumque Cæſarum magnificentia celebre, Romanumque *Amphiteatrum* excedens, ut ex *Procopio* & aliis. Concameratum igitur, ad longitudinemque paſſuum centum protenſum, latitudinem verò octoginta, molem fulcientibus columnis quadringentis nobiliſſimis, parietibus auro undique obductis, lychnis penſilibus ad tria millia perpetuo ardentibus, circa maledictas infamis porci ac Pſeudoprophetę *Mahumetis* exuvias, patiente quidem Omnipo-

I ten-

tenti Deo. In *Manaſſe Tribu* deſcribit, poſt *Brocardum, Saligniacum Cadamuſtum*, pluresque, *Adricomius* in *Paleſtina*. Eliminatis tamen, ut jam obſervavimus, *Tintinnabulis*.

*Turris Campanaria*, quæ dicitur quoque *Campanarium* & *Campanile*, eſt propriè *Turris Eccleſiæ*, vel profana ſeu publica, ut *Romę in Capitolio*, & in excellentioribus Urbibus in qua *Tintinnabula* pendent. Exempla in *Leone Hoſtienſi* 3.28. ad materię ornatum, & ex aliis apud *D. Carol. Du-Freſne in Gloſſar. vol.* 1. *fol.* 712. De illo non contemnendo *Neapolis* in *D.Laurentii*, in quo Tribunalia ad Patrimonium Urbis cuſtodiendum *M. Ant.Surgens in Neap.illuſtr.* 1. 11. 27. Olim ea Turris locus erat in ipſamet Baſilica, vel propè, ubi *Tintinnabula*: quæ ſi duplicia, nomen Turri præbebant *Dicymbali*, extraque Baſilicæ aulam, cum Narthecis locus in Veſtibulo pænitentibus attribueretur ex *P.Bulengerio in de Tēplis* 3.37. A *Malaxo* in *Patriarchar.Hiſt.* ſimpliciter *Campanarium* fuit appellatum: ab *Anaſtaſio* in

*Leo-*

Digitized by Google

*Leone IV. Campanile* Voce Gallica *Clocher*, quæ tamen ſive potius *Clogher* æquivoca, & pro *Hibernici* Regni Urbe ſumpta à D. *Lud. Moreri* en el *Grand Dictionaire Hiſtorique tom. 2. pag.* 865. Poſſetque *Tintinnabularium* vocari. Ex ædificiis prorſus neceſſariis ad templum illuſtrandum illa meditans *D. Lazari Heduenſ.* in *Gallia*, & Collegiatę *B. Mariæ in Burgundia* ſcribit in *Catal. Glor. Mūdi 12. p. conſid. 64. Chaſſanæus*. Et ſignificare ſpirituum Divinorum apud nos tutelā, ex *Greg. Niſſ. homil. 7. in Cant. ibi: Puto autem eam* Turrim *Clypeorum multitudine ſignificare Angelicam cuſtodiam, quà circumſcpti ſumus. P. Novarin.* ad Eruditionem effuſus, quem ſequitur *D. Michael Ant. Frances de Eccleſ. Cathedralib.* 24. 116.

Quod autem olim uſu receptum, in *Germania* nunc, & in *Belgio* frequens, in hujuſmodi Turrium pinnaculo *Gallus* æneus, & aliquando auratus, idemque alicubi apud Gallos Angloſque nobis peragrantibus jucundè obſervatum. Cujus moris



Digitized by Google

cauſa, Prælatorum Curionumque allicienda atque excitanda vigilantia: de qua *Honor. Auguſtodunenſ.* 1. 144. *Gemmę Animæ* iis verbis. *Non ſine cauſa Gallus ſuper Campanarium ponitur, Gallus enim dormientes excitat, & per hoc admonetur Presbyter Gallus Dei, ut per Campanam dormientes ad Matutinas excitet.* Id ſentit *Durand. de Ritib.* 33. *lib.* 1. 9. & hoc Emblemate *Alciati* lepor ſignificavit.

*Inſtantis quod ſigna canens det Gallus Eoi*
*Et revocet famulas ad nova penſa manus*
*Turribus in ſacris effigitur Aerea mentem*
*Ad ſuperos pelvis quod revocet Vigilem.*

Ubi de Vigilantiæ ſymbolo *Sanctius* ac *Pignorius* in Notis *fol.* 86.

Cum *Turribus* minimè conveniūt ſaxeæ moles *Aegyptiorum* acu.. inatæ in *Pyramides*; ubi à baſis proceritate ad ſummitatem laterales lineæ fractę & inflexę, altioriſque ſtructurę, ac Ventorum rupturæ impoſſibiles

Theo-

viſæ, diſtinctæ. De quibus *Gaſpar de Varadier de Saint Andiol Doctor* Theolog. & *Archidiac.* oculorũ orbatus luce, poſt Carmina *Iuvenilia*, in *Pyramidis Aulatenſis Vindicat.* Epiſtoliſque ad *P. Kircherium*: & fuſius hic, in *Obeliſco Pamphilio*, qui *pag.* 54. Vaticani effigiem tradit. Præcunctis verò, *Amian.* 22. Caſſiod. 7. 15. *Solin. Plin. Mela, Herod.* & ex recẽtiorib. *Per. Bellon. Sebaſt. Serlius*, aliique in *Math. Raderi* ad *Epig.* 1. *Martial.* de *Spectacul.* fol. 18. & 19.

Ipſius *Campanariæ Turris* erectio cuilibet, inferiori ſeu ſubditæ Eccleſiæ licita, quiſque enim de jure uſq; ad Cælum valet ædificium elevare, dumodo vicini damnum, quod nunquam præſumitur, minimè ſequatur. Qua in re *Hieron. Palma egregiè conſil.* 81. ubi ad quem ſpectet opus novum nunciare, quidve circa jus prohibendi perſcrutatur. Et volunt *DD.* quod etiam ſi pateant inde Monialium Monaſteria, Turris erectio impediri nequeat, ſed feneſtrarum tantummodo aperitio. *Maranta plenè Controv. to. 2. Reſponſo* 22. *ex nu.* 1. *ad*

13. *Rovit.dec.*02.6.*& ſeqq.* & *Rota in Rec.dec.*676.*to.*2.*p.*1.*num.*10. Quæ Feneſtræ in loco inſueto vel inhoneſto minimæ conſtruendæ *arg.tex.in l. Fluminum* §.*fin.ff.de damno infec.*poſt *Bart. ibi & in l. altius C. de ſervitut. Io: Frid. Kochen de Iure Viciniæ cap.* 7.*nu.*5.*&* 6.In nihilum ſuffragante, ſi Moniales ſint antiquiores, & ex *Tintinnabulorum* ſtrepitu in novæ Eccleſiæ Turri , nocturnis diurniſque ipſarum Pſalmodiis impedimentum afferatur. *Noguar.q.*1.*p.*2.& *Rota in Neapolitana Campanilis* 23. Februarii 1685. *coram Reverendiſs. Albergato.* Sic nuperrimè adverſus Moniale *B. Virginis à Ieſu* , favore Monialium *Conſolationis, Neapoli* quoq; Campanariam erigentium proximè Turrim , diuque noctuque pulſantiū abſolutoque opere plaudentibus vicinis ; poſt perquam diligens ſcrutinium in *Archiepiſcopali Curia* deciſū.

Quos de vicinia domum vendere propterea cogendos, & pro illa ampliandas; cum utilitatem id publicam reſpiciat ex *Maranta ibid.n.*27.dummodo tamen incommodum nimium

non

non foret, ut in Palatio Magnatis alicujus, quemadmodum erat illud *Excellentiſs. Ducis de Comitibus Romæ* prope *D. Catarinam de Senis*. *Grat. Diſcept. for.* 742. *to.* 4. *num.* 25. & *Barboſa Voto* 102. ſæpiſſimè adducto ubi *num.* 53. & 56. prudenter monet, ad Incommoda vitanda, Æmulationiſque ac Invidiæ ſcrupulos, *Turrim* ex utroque latere claudendam, teguliſque partim diſcooperiẽdam, ut ſonitus *Tintinnabulorum* inde aſcendat ad aerea, minuſque ſit auribus Vicinorum offenſiuus. Et quod, relicta ſeu legata pro erectione vel reparatione *Campanilis*, dicantur in pium uſum, cenſuit *Molfeſ. in ſumma Tract.* 13. *de ult. volunt. cap.* 9. ubi de Quarta Parochiali *nu.* 46. ideoque privilegiis conſuetis fulcita: quemadmodum de legato pro *Tintinnabulo* fundendo ex eod. & *Rovit. deciſ.* 56. *nu.* 2.

Impedimentũ tamen opponi poſſe noui Templi conſtructioni, ſi ex forti ſono Diuina Officia perturbẽtur: vel ſaltem *Tintinnabulum* perexiguum, ac viginti quinque librarum

ponderis permittendum, præfata *reſolut. Tondut. Benefic. p. 1. cap. 38. nu.* 12. Nihil autem ad ipſius *Turris* agendum præjudicium, maximè ſi venuſta artificioque confecta, quo caſu ne ſeruitus imponeretur, noua remouenda. Ad tradita in *l. 1. & 2. ff. ne quid in lo. Sac. l. præſcripto C. de Oper. publ. & l. Prætor ait §. merito ff. ne quid in lo. pub.* Deformitas enim atque incommodum Sacræ Turri præcauendum. *Genuenſ. Prax. Epiſc.* 91. 2. ac *Hier. Palma d. conſ.* 81. *nu.* 26.

Nectitur *Erectioni Reparatio*, quæ in parte, ut Iuriſprudentes philoſophantur, eſt regulanda ſicut in toto. Id autem explicamus, dicendo primo loco ipſam Eccleſiæ Fabricam pro *Turri Campanaria* rurſus efficienda vel reſtauranda teneri: eaq; deficiente, *Epiſcopum* pro quarta portione; qua minime ſufficiente, vel ſi Cathedræ fructus tenues ſint, onus *Capituli*, quod ſi non valeat, Congrua pro ſui nutritione deducta, cæteri *Clerici*. Demum *Populus*. Sic *Tondut. ibidem* qui & de præcipua par-

parte *Parochi*, ſi agatur pro vocatione ad Divina *& Fràces* opere indicato *cap. 13. per tot.* qui *c. 24. 211.* Forẽſes addit Iure obligari pro *Turri* in Villis, in cæteris vero, Incolas tantũ. Ex *Avendano de Exeq. Mandat. reg. 1. cap. 10. 25.* & *Bertrand. conſ. 53. nu. 6.* Vicarium quoque perpetuum, ſi fructuum decimalium, partemque proventuum poſſidet. Sic in opere poſthumo de *Bonis Temporal. Eccleſ. acquirend. vel conſervand. lib. 1. num. 10. D. Melchior Paſtor.* Preter *Tondut.* qui egregiè quæſtionem diſpungit, conſulendi ſcribentes ad *cap. 1. de Eccleſ. ædific. Molina de Iuſ. & Iu. cap. 44. 2. to. 1. Lotter. de Re Benefic. 1. 11. ex nu. 78. Rota coram Coccino deciſ. 627. per tot.* Idemque *Frances cap. 13.* ubi probat quod aliquoties adſtricti *inferiores Clerici*, *Penſionarii, Commendatarii*, *Decimarii*, & *Patroni*, excæpto nonnunquam *Hiſpaniarum Monarcha*, quem ex Patronatu ſimplici non comprehendi, ſed in vero, quo fruitur in *Regno Granatenſi*, ac in *Novo Orbe*, ſenſit *Solorzan. de Iure Indiar. tom. 2. 3.*

23.*& in Indiar.Politia* 4.23.*fol*.693.

Pro *Fabrica* in affixo Univerſitatis ſcholaſticæ Turri,Collegarum favore: quia ſe habent *Tintinnabula* in caſu ad inſtar partium domus. Ita ad *tex.in l.quæſitum* §.*fiſtul.ff.de fund. inſt.leg*.P.*Pereyra* docuit Reipub.*Literar. num*.1685. ſubiungens quod,ſi *Tintinnabulum* manu portantium ac pulſatile frangeretur, ſumptibus eorum foret reparandum, quorum ſupellex:

Forma tamen vetus in reſtauratione vel reædificatione ſervanda, ut abſint diſcordiæ. Sic ad *tex. in l. ex quo* 12. §. *nulli autem* 3. *C. de Aedif. priv.l*.1.*C.de ſervit.& aqua l. qui luminib*.11.*ff.de ſerv.præd.Urb. Kloch. de Aerar*.18.20.*Cujac*.17.*obſerv*.35. aliique de jure Magiſtratus adverſus ſumptuoſas Civium ædificationes *Lipſ*.4.*Polit*.11.*Chokier Theſ*. 5. 16. & *Kloch.ib*.2.95.13.

Invalidè fundatæ *Vaticanæ Turres* magnificæ,*Urbano VIII* fæliciter regnante cecidere. Sic inſignis Monopolitana nuper, cum plurium detrimento collapſa,quę tamen Epiſco-

pa-

Digitized by Google

pali gratia reſtituta. Illæ non amplius; quanquam ſanctiſſimo *Pollionis* præcepto puniendus Architectus.

Turrim ac *Tintinnabula* privilegiis potiri loci Sacri, & præſertim Immunitate Eccleſiæ, cujus ſunt partes, imò ipſemet arreptæ funes ex *Barboſa* dicto *Voto deciſ.* 102. ſive coniunctim, ſive ſcjunctim ſtet cum illa ædificium, diſcimus ex *Murga Diſquiſ. Moral. Canon.* 7.6. *to.* 2. *tract.* 2. *fol.* 121. *Hier. Palma d. conſ.* 81. *num.* 5. *& ſeqq. & num.* 24. & philologicè à *P. Theoph. Rainaudo in Miſcell. ſacr. pag.* 16. Quod ſi tantummodo ſonus Eccleſiæ inſerviat, à qua, ædificium ultra paſſus triginta non diſtet, *Actolin.* declarat *reſolut.* 47. *nu.* 96. Idem *Barboſa in ſumm. Deciſ. Apoſt. Collect.* 270. *num.* 10. & *P. Diana* deciſiones afferens Sacræ Congregationis *Reſolut.* 108. *p.* 4. *tract.* 1. At, intra quadraginta paſſus, & ſi ſint in Urbe ſita vel extra, plures alii Doctores apud *Frances* dicto *cap.* 24. *nu.* 209. Qui paſſus ad geometricam quinque pedum rationem, pedem vero ad



Digitized by Google

quinque digitos calculandi, Nos ipſi oſtendimus in Tractatulo noſtro de *Diſtantiis*. *Paſſus* enim, vel Mathematici ac minores, duorum ſcilicet pedum cum dimidio, vel majores & pedum quinque, ut ex *Gloſſ. in l. 3. ff. de Vorb. ſig.* aliiſque ſatis abundè probat *Georg. Marſmann.* Budiſſin. Civit. Sindicus in *Miliologia cap. 3. n. 10.* Et in Caſtellis, anguſtiæ loci causa, rationem paſſuum haudquaquam procedere *Id Frances* ex *cap. quiſquis 17. q. 4.* meritò ſignificavit. Videndi tamen ipſius frater *D. Didac. Ant. Frances Epiſcop. Barbaſtrēſ. de Competent. Iuriſdict. inter Curias q. 76. n. 15. & 16. P. Paſqualig. Quæſt. Moral. Canon. 3. & Cortiada deciſ. 47. & 63. to. 2.*

De peculiari *Almæ Domus Lauretanæ Campanario*, quod Epiſcopo, non autem Protectori, etiam *S. R. E. Cardinali*, ſubſit, probat *Eminentiſs. De Luca to. 3. Oper.* ſeu *de Iuriſdict. Diſcurſ. 33.* ubi ampliativè in *Turri*, ac *Tintinnabulis* Baſilicę *D. Ma: Majoris* Urbis, quæ ſub Capellarum *Sixti* ac *Pauli V.* exemptione minimè comprahenſæ. An

An polluta Eccleſia, cenſeatur pollutum *Campanile* & econtra, odii reſtringendi cauſa haudquaquam affirmaremus. Et negat *Sanchez de Matrim.* 15.29. Exagitant dubium nonnulli apud *Murga* loco mox laudato. Videri tamen poteſt quicquid lucubratum ſedulo proſtat per *Excellentiſs. D. Petr. Franc. Paſſerinum* pro *Sereniſs. Parmæ Duce*, Placentini Senatus *Præſidem.*

Iam elevato in *Turri Tintinnabulo*, ea *Turris* pro loco Sacro habetur & publico, fundatoque auctoritate Epiſcopi, cui vult ſubiacere cum plurimis DD. ac Interpretibus *Abb.* in vulgato *cap. Patentib. de Privilg.* ibique *Pagnan. nu.* 2. & *Pellizzar. in Manuali Regular. tom.* 2. 8. 5.76. ubi quod *Tintinnabulum* pendens à Turri, indicat Oratorium eſſe publicum & numerus facit ad Cathedralitatē ex *Franceſ d. cap.* 24. & quod ſufficiat quævis Epiſcopalis advenientis facultatis probatio fusè *Donat. Rer. Regular. to.* 1. *p.* 2. *tract.* 14. *q.* 60. *nu.* 1. & 3. Imo ſimplex penſio, Epiſcopi iuriſdictionem indicet. *Bonac. de*

*alien.*

*alien.bon.pun.2.nu.* 11. *Diana* 6.101. *Nicol.de Rer. diviſ.* & *in Floſcul. fol.* 56. *n.* 6. Et ad Immunitatis effectum templi partem cenſeri *Suar.* inquit *de Relig.to.*1.*tract.*2.3.9.7.

Quod ampliatur ex longi tẽporis uſu apud Laicos, Eccleſiæ donationem per ipſos factam præſumi. *Ad tex.in cap.*1.*de Offi.Cuſtod.Quaranta in ſumma Bullarii in Addit. verbo Cãpana. Piſcara Caſtald.in praxi ſacrar. Ceremon.*1.3.9.23. *& fuſe Rota deciſ.* 223.*per tot.coram Seraphino.* Limitatur verò in plurimis Italiæ Urbibus ac Palatiis Communitatum, ſeu publicis Pretoriis (ut anno 1622. in *Magna Cur. Neap. Eminentiſs. Card. Zapatæ* Proregis præſcripto) in quibus, ſive *Turribus* elevatis, ſive ad aliquam fæneſtram, *Tintinnabula* publico mandato pulſantur: ea tamen loca ſacra non ſunt. Notante id *Marcello Megalio in Promptuar.Theolog. to.*1.*verbo Campana.*

Præfatum verò *Magnæ Neap. Curię Tintinnabulum* Miniſtros, Iure Conſultos, Rabulas & populi catervam indiſcriminatim ſingulis horis ma-

matutinis non feriatis advocat tintinnando, & ad nutum *Regii Conſilii Præſidis*, quo adveniente ſilet. Imò ſexies animadverſum quod ejus æris fractura, proximum ipſius Prȩſidis obitum quaſi decretoriè ſignificavit. Idemque ſimili ſigno in ſummo templo & *Archiepiſcopo Cardinali* pluries accidiſſe fertur.

De *Venditione* ac tacita *Donatione*, ſub expreſſa Eccleſiæ, *Tintinnabuli* vel *Campanarii*, negativè quoque arbitraremur, cum utrumque ſit quid momentoſum claris verbis ſignificādum. Lectorem tamen ad elaboratum Virum *P. Bordonum* mittimus *decıſ. Miſcell.* 254. ubi ſatisfacit, pro affirmativa tantum ſcilicet, ſi contractus *cum omnibus pertinentiis* vel ſimili generica & ampla forma ſit ſtipulatus: quod ſupra ubi de *Horario* prope *fin. cap.* 5. jam expoſuimus.

Semper vero *Tintinnabulis*, ac Turribus illorum gratia honor habendus eſt ex prædictis. Et ſi quid contra attentatum fuerit, ut Iuriſtæ minus latini loquuntur, materia erit mixti fori. Ad *Tex. in Clem. un. de Iu-*

*dæ.*

Digitized by Google

*dæ. Aloyſ. Riccius in Praxi Reſol. p. 1. reſol. 423. & Bellett. Diſquiſ. Cleric. p. 1. tit. de fauore Clericor. Reali §. 4. nu. 14.*

Conſtructionis vero ejuſdem *Turris* pio in loco finis eſt, ut pulſatis *Tintinnabulis*; Fideles, ut diximus ſimili ſigno vocentur ad Divina. Sic ex *Durando* & canonicis Iuribus *P. Matth. Magnanus* in *Diſcert. de Trib. peculiarib. Deiparæ Pinnæ Billorum, quæ lacbrymas fudit, Gratiis p. 2. ſect. 2. q. 1. §. 2. diſ. 1. ſub. 3. fol. 393.*

De auctoritate Epiſcopali circa Regularium *Tintinnabula* ſcribit in ſuo de *Citation. Baron. to. 3. in Addit. ad q. 10. num. 7.* & de aliquo privativè quoad Eccleſiaſticos Laicorum jure in Eccleſiæ *Tintinnabula* in ſuperius adducta *Reſolut. 47. Actolinus.*

Improbandũ verò Belligerantium, ſive *Galli*, ſive alii sint, de quibus rumor adeſt, morem quo Exercitum ducentes, in hoſtilem civitatem ſtatim ac pedem fixerint, etiam si non hoſtili forma, ſed Triumphali Iure Templorum omnium *Tintinnabula* ſibi adiudicent (sive, ut iis Tormen-



Digitized by Google

ta facilius fundantur, ſive ut admittatur pro Aerarii commodo redemptio) Doctiſſimus voluit *P. Anton. Cottonius Controverſ. celebr.lib.5.11. cap.2.nu.69.*

Id Nos in Obſidionibus, in quibus Curioſitatis tantum gratia adfuimus, non vidimus, etiam ſi de *Trevirenſi*, cum *Chriſtianiſſimi Regis* Armis audiverimus, nec in *Gallicis* legimus Auctoribus qui nuper de hujuſmodi ſcripſerunt Diſciplina, uti præſertim *Le Sieur Fautier* in libro inſcripto *Traitè de Fortifications* in 12. *Lyon* 1685. ac similiter *le Comte de Pagan en les Fortifications, e ſa maniere de fortifier de Monſieur Vauban : par Herbert* in 12. *Paris* 1689. Rursùs *la Maniere de fortifier les Places tireè des Methodes, du Chevalier de Ville, du Comte de Pagan, e de Monſieur de Vauban in* 12. duob. Voluminibus *à l'Haye* 1689. & forſan melius cunctis *Les Travaux de Mars, ou l'Art de la Guerre du Sieur Mallett. à Paris avec Figures trib. Volumin. in* 8. Quos tamen raptim percurrimus. Etiam si, in præda Sacra ac Religio-

ſa,

ſa, ea res deſinat eſſe hujuſmodi, ut ad *tex. in l. cum loca ff. de Relig. Elias Reuſnerus Stratagemagraph. lib. 3. fol.* 521. Hinc de Univerſali *Tintinnabulorum* ab occupata jam poſt obſeſſionem Urbe, redimendi certa pecuniæ ſumma, per Præfectos rei tormẽtariæ conſuetudine, quia res quoque ſacris deſtinatæ, factę ſunt propriæ Victorum, non dubitante *Caſp. Ziegleroin* Notis *ad Hug. Grot. de Iu. Belli & Pacis* 3. 12. 6. Non propterea latet, apud *Græcos*, non modo Arma, Aurum, *Aes*, Ferrum, ſed cuncta hoſtium bona in prędam veniſſe, Belliq; Iure Victoribus ceſſa: ipſos quoque hoſtes vivos, vel captivos poſteà ſervatos, vel aliis divenditos, prædæ partem conſtituiſſe. Quod 3. *Pædiæ Xenophon*, primoque *de Legib. Plato* pronunciarunt, fuſiuſque apud expertiſs. Virũ *Hug. Grotium* in laudato *Belli & Pacis* opere videndum. At in Bombardas *Tintinnabula* in Septentrione haudquaquam vertenda *Olaus Magnus* cenſuit 12. 16. De Incendiis verò liquefactis apud *Cruſ.* mentio *Annal. Svev. p. 2. lib. 7. pag. 3. cap. 3.*

Pa-

*Parochialis* Iuris fuere quoque olim *Tintinnabula*. Hinc per ſimplicem Funem, quæ alicubi fortiſſima, ex corticibus ſcilicet, vel Piſcium ſquammis, ut in plaga Septentrionis, eodem *Olao Magno* teſte, & myſterio prorsùs non caret, labilis vitę humanæ curriculum indicans, Presbyteri, qui nonnulli Eccleſiæ incardinabantur, inveſtiri conſueti. Quod, ex *Innocentii III.* ad Nivernienſ. Epiſcop. Literis, *Innocentius* refert *Cironius* in *Paratitl. ad quinq. Decretal. lib.* & maximè 3. 35. *de Statu Monachor. fol.* 254. *poſt med.* Et si ulterius desideretur in hoc, *Benge. & Pinſſonium de Beneſic. cap. 2. p. 1. §. 1. nu.* 10. *fol.* 115. designamus.

In ligno quoque ubi pendent, Dominicę Crucis ligni significatio ab *Anton. Ricciardo* fusè indicata *Commentar. ſymbol. tom. 1. fol.* 128.

Caſus non prætereundus, malæ fidei Aedituorum paræcialis Eccleſiæ *Montis Deſiderii* anni 1603. de *Tintinnabulis* affabrè factis, benedictis, Deoque dicatis, at præcio non ſolutò per Fabrum vindicatis, judicio Sena-

natus,quod etiam deponerentur,niſi quo conflata fuſaque metallum, operamque ac pactas mercedes ſolverent. Narratur ab *Antonio Mornacio* in *Commentar.*ſuis perpolitis *ad l. 1.ff.de Rer.Diviſ.* In quo tamen advertẽdum Canonicis Dicaſteriis hæc improbari ſententiam; Quia Sacræ res non modo ſunt Sacramenta, ſed ea omnia quæ ad Divinum pertinent cultũ ex plurib. *Azorio* maxime *Inſtit.Moral.9.27.* Imo ex ſubtiliſſimo *Fabro*,duum sũt generum Sacræ res; quædam immediatè deputata,ut *Calices,Cruces,Ornamenta*, & hæc,inalienabilia. Mediatè alia ad Miniſtràtium Deo ſervitium,ut *Fundi*, *Tintinnabula*,ac ſimilia, quæ ob utilitatem vel neceſſitatem Eccleſiæ,formâ tamen *Paulinæ*, ut ajunt,in *Extravagantib.*Conſtitutionis ſervata,alienari queunt. In praxi verò allata diſtinctio nequaquam nobis arridet; Cum *Benedictio*,ſive *Conſecratio* nonnihil *Tintinnabulis* adiungat, quod fundo haudquaquam convenit:& ſic ingenuo calculo aſſentitur *Caſpar Zieglerius* Profeſſor VVittembergen-
sis

Digitized by Google

ſis in *Diatribe Canonica* de *Dote Eccleſiæ ejuſque Iurib. ac Privilegiis* cap. 12. §. 4. *pag.* 232. ubi noſtros Catholicos Ritus falsè aït perſtringere *Andream Rivetum* in *Cathol. Orthodox. tract.* 2. *q.* 17. *nu.* 11. *& ſeqq.* Qui *Zieglerus* amicè juvans §. 5. *pag.* 233. ſubdiſtinguit, ut primæ res commodius dicantur Sacræ, alteræ verò Eccleſiaſticæ, utræque Deo dicatæ *cap. nulli* 12. *q.* 2. Illæ magis Divino cultui connexæ, hæ remotius, & neutræ quam ex cauſa graviſſima alienari queunt, ab Epiſcopo & Clero ſub certis ſolemnitatibus examinanda, per tex. in *l.* 14. *& l.* 21. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* parum curans de *Paulina*, tanquam Pontificia. Quarum rerum, ſecūdę facilius quam primę in commercium veniant, ea nimirum ratione, quod cultum Diuinum immediatè non attingunt, quod fusiùs explicant, ex Germanis elaboratiſsimis, *Io: Schneideuuein & Io: Harprecht ad* §. 7. *de Rer. diviſ.* concordes tamen, pro tuenda *Tintinnabulorum* libertate ac prærogativa.

CA-

## CAPUT VIII.

### *A Sacro Viro Ducendum.*

EVecto jam ac firmato in *Sacra Turri*, ut vidimus, *Tintinnabulo* erat quidem curandum per Virum, ad id jure ac ſolerter electum, qui vulgari vocabulo dicitur hodie *Campanarius*. Sic quoque ob *Campanarum* cuſtodiam à *Cæſario* lib. 2. *de Miracul.* 22. appellatus. Procul autem hinc profanus, cujus ſtatus vel conditio dominis arbitraria. Aeriſque Faber, Ferrarius, Artifex, vel Opifex, præſato quoque *Campanarii* nomine dictus.

Ante Lignorum ſtrepitum aliaque vetera signa, moderni que inſtrumēti uſum, *Curſoris* aut *Monitoris* nomine munus vigebat, ad unumquemque Catholicorum certâ hora qua Sacris operandum à Præſule, vel Epiſcopo, aut majori alio Eccleſiam miniſtrante conſtituta, accerſendum. Ab anno Chriſtiano, tertio ac nonageſimo *S. Ignatius* meminit *epiſt.* 13.

ad

Digitized by Google

ad *D. Policarpum*, quam amplectitur *Card. Baron.* anno 865. Ex eo quod præſtat *Pulſator* dictus, notante id *Innocent. Cironio Obſervat. Iur. Can. lib. 4. cap. 3. circa med. ac per tot.* ubi multiplicem vocis interpretationem tradit. *Pulſator* hinc aut *Percuſſor* & *Exequialis* vocatus ab *Innoc. III. lib. 15. ep. 7.* quia funera tinnitu monebat, ut preces à fidelibus funderẽtur. Sic explicante eod. *Cironio*. Rurſus *Matricularius* ac *Aedituus* ex Charta *Conradi Epiſcopi Friſingen.* anno 1327. in *Metrop. Salisb. tom. 2.* 443.

Verùm, à *D. Benedicti* prouida erga Eccleſiæ cultum obſervantia *in Reg. cap.* 47. ipsimet *Abbati* munus hoc iniunctum: quod à Presbytero eo temporis Abbate digniori minimè ſubterfugiendum *Amalar. Fortunat. Trevirorum Epiſcopus* de *Eccleſ. Offic.* 3. 1. ſcripsit: Sacerdoteſque signa tangere debere piiſſimè *Carolus Magnus* in *Capitular.* 6. 168. ſanciuit. Et merito, siquidem *Araon* filiis dilectiſsimis, ut clangerent *Tubis* præcepit Deus in Veteri Lege:

mi-

miniſterium enim eſt ſacrum, fidelẽ populum coadunare, ideòque à majoribus rectè ſtatutum per Sacratos viros *Tintinnabulum* tangi. De *Oſtiario* tamen ad hoc in *Rituali*, *& Concil. IV. Carthaginẽſ.* ut aliis perlatum, nulla mentio lecta.

Pro illo vel Sacriſta, Clericum tamen designãs in Acolytorũ ordine, ob quam cauſam *Cymbalum* sibi primum dari cum promouetur; *Tintinnabulum* enim debet pulſare, tempore maxime Sacrificii *D. Nicol. Rodriquez Fermoſin.* tuetur *de Offic. & Sacr. Eccleſ. to. 2. tract. 2. ad cap. 3. & 3. de Offic. Archidiac. q. 2. n. 46. fol.* 436. Mãsionarius olim vel *Cuſtos*, qui Sacriſtæ prorſus Miniſter, de quo *Panvinius* de *Interpret. Voc. obſcurarum*, & *Macri fratres in Hierolex.* verb. *Campanarius*. Scribit verò *D. Gregor. 3. Dial. 24. tom. 3.* de *Theodoro* Mansionario fusè, de *Abundioque cap. 25.* quorum laudabilis ac venerabilis mentio in *Rom. Martyrol.* 14. *Aprilis & 26. Decembris*. Sic ante mille, & plures annos indubio *P. Rocchæ* calculo.

Con-

. Congruum eſt ſanè, quod minoribus Ordinibus, vel prima Tonſura ſaltem initiatus, & non Laicus, nec indifferens homo ſit, qui hoc agit munus, cum *Tintinnabulum* ſit *benedictum*, & Oleo ſancto unctum. *Durand.* meditatur *cap.* 22. ad cujus obſequium id pulſandi munus *Primicerio*, qui primus eſt Miniſter delatum habetur in *cap. Perlectis* 25. *diſ. ubi DD.* Verùm ad Officium *Cuſtodis* ex communiori ſententia, de qua verba in ejus *cap.* 1. hæc: *In Canonicis horis ſigna Tintinnabulorum pulſando, ipſo Archidiacono jubente, ab eo pulſentur &c.* De cujus mandato, inferiores Clerici deſignati; ut *ex eod. cap. & cap. perlectis* 26. *diſ. Tondut Quæſt. & Reſol. Benefic. cap.* 63. *num.* 1. *&* 5. ubi Laicis ea pulſare minimè permitti, nec quam de licentia *Cuſtodis*. Et ſequitur *Franceſ. de Eccleſ. Cathedral. cap.* 24. *nu.* 215. Ex ordine Cleri eoſdē *Cuſtodes*, præſertim in Cathedralibus, qui pulſare *Tintinnabulum* cōſueſcant, exemplo non omittendo *Ambianenſis* templi, in quo iidem *Clocmans*, Germanicæ radicis voca-



Digitized by Google

bulo appellantur, eſſe præfati *DD.* notant, atque *Hofman* teſtatur in *Addit.* ſui *Lexici Univerſal. tom. 3. pag.335.*

Quare autem id munus in Eccleſia inſtitutum, fuſius apud *Zanch.* videndum relinquimus de *Privil.Eccleſ.priu.40.nu.4.*,ubi ampliat quod Officia, ac Dignitates Eccleſiæ,conſtitutaque ornamenta vana cuncta forent, niſi *Cuſtos* adeſſet, cui traduntur gubernāda.Et *Concil.Aquiſgranenſe* primum *Cuſtodibus* Eccleſiarum ſcitè præcepit,*Ut benè cognoſcerent diſtinctiones Horarum Canonicarum* ,ea prorſus ratione, *Ut ſigna certis temporibus pulſarentur.*

Addimus autem, tanti fæciſſe hoc pulſandi munus Patres, ac Majores, ut in *Colonienſi Concilio can.* 8. anni 1260. ita præſcriptum,*Ut Campanarii Eccleſiarum, quorum ſervitus ſive onus circa altare verſatur, nunquam abſque veſte camiſiali compareant, firmiſſimè probibemus*. Clariùs idem *Concil. Colonienſe* anno 1300. *can.7.* iis verbis *Prohibemus item, ne deinceps Campanarii in Villis, & Eccle-*

*cleſiis Parochialibus. ibidem aſſumantur, niſi Litterati, qui in defectu reſpondentis ad altare, cum camiſiis lineis aſſiſtant in Miſſis, deſervientes Presbytero, ne Miniſtrator careat ſocio ſibi reſpondente.* Aliudque *Coloniense* Concilium anno 1310. *can.* 16. *Statuimus igitur, ne liceat Campanariis, ſeu Matriculariis nutrire Barbam aut in veſte laica in Eccleſiis circumſitare, ſed miniſteria ſua in ſuperpelliceis exhibeant.* Similiaque videnda in *Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi* Excerptis *cap.* 2. & In *Legib. Presbyteror. Northumbrenſium cap.* 36. nec non plura quæ *D. Chamillard* refert in ſuo de *Corona, Tonſura, & habitu Clericor. cap.* 4 *ſect.* 2. *pag.* 314.

Quę ſaniſſima pręcepta *D. Carolus Borromęus* Ptęſul vigilantiſſimus, in ſua *Mediolanenſi* Eccleſia, ac Diœceſi, obſervari perpetuo ſtuduit, quemadmodum ex eius *Actis Conciliar. & Vita.* Plura etiam apud *Gavàt.* & ex *Herrera, Narbona* in *Juris Horograph. & Antelog. n.* 150. ubi dedecus illorum narrare proſequitur, qui, munere *Cuſtodis* abuſi, *Tintinnabulo-*



Digitized by Google

*rum* regimen, ac pulſum pueris indiſcretis demandant. Et nos ipſi in de *Diſtant.6.6.6.* doluimus jure, Pulſatores utplurimum apud Noſtrates hoc ævo, Juvenes ocio deditos, vel Ruſticos inurbanos, aut Moniales non admodũ judicii compotes, quæ in nonnullis *Etruriȩ*, *Aemiliȩ*, vel *Neapolitani* Regni Urbibus, cum aliis ſororibus, nec abſque Vicinorũ moleſtia, in *Tintinnabulis* inſipientiſſimè agendis, frequenter tempus terunt.

*Felſinæ*, ſeu *Bononiȩ Campanarii*, apud quoſq; munus magni factum, inter quos nonnullum quaſi fȩdus. Pulſant rhythmicè, horiſq; nocturnis vigilant libentiſſimè. Ob *Catharinæ* feſtum in *D. Stephani Cœleſtinorum* ibi ſonus productus, veterique Pecoris legato quodam auctus.

*Campanarii* electio, an Jure, ac privativè, quoad Viros Eccleſiȩ, pro Laicis valeat defendi, ſcribit *Actolin. laudata reſol.* 47. Ipſi verò, cum defertur *ſalarium*, à quo ſolvẽdũ. *Tẽdût. Quæſt. Benefic. lib.* 3. *c.* 133. ubi, quod à *Parocho* vel *Populo*, ſi pro hujus voca-

ca-

Digitized by Google

catione ad Divina: à poſsidentibus vero bona in Territorio ſi ad expellendas tempeſtates pulſetur; ab aliis Nos putamus aliis de cauſis, ex *Bertrand. conſ.* 53.5. *vol.* 1. *par.* 2. & *Genuenſ. Pract. Eccleſ.* 249. *num.* 6.

Tertiario, ſic appellant, & ſupra monuimus, *FF. Conventualium D.* Franciſci, qui *Neapoli* publicum tinnire facit, vel faciebat uſque ad alteram noctis, ex fiſcali pecunia ſtatutam olim mercedẽ *Surgentius* advertit in ſua *Neap. illuſt. c.* 11.34. *fol.* 75. At in *Romani Capitolii* excelſa quidem *Turri* rursùs cũ triplici palatio, effluxo anno 1692. in prę ruptis partibus reſtituta, & eleganter dealbata, patricium, ac pingue munus eſt *Campanarii*, ad aureos coronatos forſan tercentum, ex Pontificii Aerarii pecunia, Sedis Apoſtolicę largitate. Subſtituitur tamen à Nobili viro, quidam ad pulſandum ex plebecula vili.

*Irregularitatis* notam ac pœnam haudquaquam contrahere pulſantes, id Epiſcopo permittente, vel facultatem elargiẽte, ad *Maleficos* per-



Digitized by Google

ſequendos,& ad *Milites*, ut bellorum cauſa prodeant vocandos; & Epiſcopus met,vel Sacriſta,aut quiſquis electus pulſator, non impedientes cuncti aliorum ad *Arma* ſonitum, etiam ſi mors citrà voluntatem ex accidenti ſubſequatur, ſatis tuentur *Zerola in praxi 2. verb. Campana Majol.de Irreg.2.10. & Quaranta in Summa Bullarii, & in Addit.*

Ex munere demandato, aut gradui affixo, ratio eſt habenda pulſandi, in qua prudenti *Campanario,Tintinnabuli*, cujuslibet artificium atq; harmonia ſedulò ſunt conſideranda. Ex iis hoc inſtrumentum eſt, quę verberibus omninò gaſtigamus, ut argutè Poeta quidam apud *P. Novarin.in Schediaſm. ſacro-proph.1. 27. num.*134.

*Nux, Aſinus, Campana, Piger ſine verbere ceſſant*
*Hæc dura, hic tardus,hæc tacet,ille jacet*
*Sed ſimul ut fieri plagam ſenſere vel ulmi;*
*Hæc cadit, hic pergit, hæc ſonat, ille ſtudet.*

De

Digitized by Google

De cujus pulſus facilitate, magis lepidè *Angel. Florentiola* in Encomio Italico aliàs laudato, ac Domino *Gualterotto de Bardis* inſcripto Florentię ex 1549. edito fol. 124. Utinã in cęteris honeſtius.

*Trà tutte quante le Muſiche huma-*
*ne,*
*O Signor mio gentil, trà le più ca-*
*re*
*Gioje del Mondo è'l ſuon delle Cam-*
*pane.*

Et paulo poſt

*Forſe ſi pena à temperarla un' an-*
*no*
*Come un Liuto, che quando lo vuoi*
*Metter in corde, è pure un grande*
*affanno?*
*Queſte al bel primo ſuonar tu le*
*puoi,*
*E come ſtanno lor ſempre accorda-*
*te,*
*Così ſteſſimo in corde ſempre Noi.*
*E quanto più ſon tocche, ò malmena-*
*te,*
*Tanto più fanno il ſuono ſtagionato,*
*E tanto han ben quant'elle ſon ſo-*
*nate.*



Digitized by Google

Si tamen ſonus aures obtundat, omninò reprobatus per ea quę *Pontan.in Charon. Dial.* ſignificabat, ac ſequitur *Jul.Barbaran.* in *Promptuar. Rer. quãplur.lib.3.tit.de Loquacitate*, ac melius *Deſid. Eraſmus in Chiliadib.* poſt quem feliciter *Manut.* in *Adag.* In Garrulos enim *Tinnibali*, quadrat ſymbolum, ex *Juuen. ſat.7. carm.29.ibi.*

*Verborum tanta cadit vis, ut Tintinnabula dicas*

*Pulſari. Jam nemo Tubas &c.*

*Seneca* quoque 3.*de Ira*: *Ad clamorem ſervi ad Tinnitum æris &c.* & inter Linguę Italicę purgatioris Adagia in *Vocab.* nupero *Acad.* celeberrimę *Cruſc.to.2.fol.269 Tener il Campanello, ſi dice di chi cicala nella converſatione più de gli altri.* E contra *Cornacchia di Campanile di un huomo cupo e ritenuto*: Aliàs *Andare à ſuon di Campanello, è haver briga de' Magiſtrati.* Demum *Haver le Campane groſſe, è l'eſſer ſordo,* quemadmodum ſupra ſignificavimus.

Adverſus eoſdem Loquaces congerit ſynonima *Pollux 6.* ibi: *Abenum,*

*num, ex Dodone, Iliade longiora garriens*, & ultra. *Dodonæi Tintinnabulum* in *Euſtathio*. Jn quos adagium illud *In cubiculo Nola* ſive apud *Quintilianum* ſiue alios prelatum ex greco fonte de *Garrulis*, nugali verborum futilium copia domi deſidētibus tota die, obſtupere detinniendo, ſive de iis, qui verborum fluenta in angulis abditioribus promunt. in Foro autem, vel in Senatu ubi ex Civili Eloquētia Gloria comparatur preſtantium Virorum exemplo, penitus conſileſcunt, Piſces mutos imitantes. Egregiè *lib*. 10. 51. *Rhodigin*. & de Mulieribus, que *Tintinnabula* dicuntur *Caſp. Barthius Adverſar. to*. 1. *fol*. 1512.

Hinc de raucíſonis *Tintinnabulis*, in utraque Lingua facundiſſimi Jo: *Caſe*, Epigramma.

*O quæ terrificos vicina è Turre cletis*
*Tot nocte æra ſonos tinnula, totque die*
*Si mihi venturæ noctis dormire licebit*
*Per tot Tinnitus particulá miſero;*

*Nec cum defeſſos jam jam continget ocellos,*
*Vos metuet, ſubito diffugietque ſopor:*
*Ipſe ego cras vobis ultro tortiq; rudentis*
*Spiras, & firmo è robore fulcra dabo:*
*Tutius ut ſonitu Boreamque laceſſere ſævo*
*Poſſitis poſt hac, & Maria, & Tonitus.*

Non autem inarticulatus, ut Imperitiorum Vulgò videtur, *Tintinnabulorum* eſt ſonitus, cum ſatis ſuperque ex Eccleſiæ inſtituto appareat articulo ductus, Fidelibus quaſi annuncians pulſibus Cantica pſallentium *Laudate Dominum omnes gentes* &c. & *Confitemini Domino quoniam bonus* &c. Congruè monuit in *Horar. Univerſ. Theodoſ. Rubeus* 6.41.

Diſtinguit verò, ſuo more ſapidiſſimo, triplicem ſonum *Leo Allatius* in *de Templis Græcorum recentiorib. epiſ.* 1. *num* 3. Alterum ſcilicet, qui laxato brachio, continua remiſsione contractioneque, nunquam intermit-
ten-

tente ſit agitatione. Alterum qui crebrioribus alterniſque ictibus, non abſque modulatione perſtrepit. Tertium vero quo, intento malleo, ſingulis pulſibus æs *Tintinnabuli* increpat. Quibus in Eccleſia, vel Aula fære cuncta, quæ contingunt facillime ſignificamus.

Effugiendæ non modo Aemulationes, quæ chariſmata ſunt pejora prioribus pulſibus, quos ad primò ſurgentes, Romæ deciſum poſt *Albertin.* in *ſuo Diction.* refert *Oldrad. conſ.* 228. cum matutinis horis, tanquam pro aris, & focis inter *Humiliatos* hodiè ſuppreſſos, alioſq; Monachos fuit diù diſceptatum. Verùm diſcretè moderandi. Et quidem veteri lege ſex tantum vicibus nunciatum *Sabbatum* in Paraſceve die, *Tubæ* ſonitu ab *Hebræis*, in ipſo met de *Sabbato* Tractatu legitur, ex quo *P. Herrera de Orig. Diu. Offic.* 1.8.4. & 5. Et proprium *Moſcovitarum*, veſpertinis horis *Tintinnabula* adeò concutere, ut alibi eo tempore Incolæ excurrant *P. Poſsevin.* tradit in *Legat. ad eoſd.* A breviſſimo pulſu, & ſignã-

di tantum munere *Campanas* vocari ſigna, poſt *Barboſam* aptè notavit *Narbona in Horograph. Jur. Antelog. num.* 139. ex Patribus, ac ſacris Hiſtoricis, addens *nu.* 151. *Toleti* mulctam pecuniariā Sacriſtis inflixam, ex infeſta pulſatione. Et prudenter *Malleum aureum Leonis IV.* jam laudati fuit illud celebre, ut ex blanda percuſſione minus offenderet. Ad hujuſmodi læſionem illud facit *Sineſii*, quamquam fortè de Artificum crepitu: *Somni partem, quæ mihi fortè obvenit, ſępè turbat Tintinnabulum Vigilum*. Nec pręter rem *Senecæ* locus 1. *de Tranquill.* ibi *Morti natus es? minus moleſtiarum habet funus tacitum*. Quapropter, non pro meritò commendatus *Patrum Societatis* mos, qui ſtatis horis modicè pulsāt, ut *Barboſa* ſcripſit *Voto deciſ.* 102. *to.* 2. *lib.* 3. *dub.* 4. *num.* 93. *fol.* 118., & nos pluribi commorantes, in felici ipſorum vicinia obſervavimus, in feſtis, tertia ferè poſt Aurorā ſonum ipſis conſuetum, quando Laicorum cuncti præſumuntur expergefacti. Sic *Romæ* ubi graviora nugis abje-

ctis

ctis ſolerter tractantur, & Res Eccleſiaſtica ſumma præfulget maieſtate, Pulſus *Tintinnabulorum* neceſſarius tantum per univerſum anni curſum, & quantum ſatis in ſolemnioribus diebus.

Contra *Campanarium*, ſi ante horam debitam ſonando deceperit, ad pœnam, vel damnum agi poſſe *Bonifacius* cenſuit in *Tract. de Teſtib. nu. 80. argum. l. de Incendio, ruina, & naufrag ff. & l. nec piſcatores*. At vide *Baron. de Citat. to. 3. in add. ad qu. 10.*

Caveat vero quilibet *Pulſator*, ne nimium funes laxet, illius *Proculi* exemplo, qui ad templum, ac cænobium *Caſinenſe* ejus nominis; *Gratiani* Decreti Canonici compilatoris memoria celebre, ex jactu *Tintinnabuli* infelici fato vitam finiit. De quo *Diſtichon* in pariete ibi ad plateam à *D. Jacobo Sponio* Gallo, Phyſico, ac Philologo nel *Voyage d'Italie tom. 1. fol. 68.* relatum, ac in ipſomet loco à nobis lectum non ſemel

*Si procul à Proculo Proculi Campana fuiſſet*
*Jam procul à Proculo Proculus ipſe foret.*

Mo-

Moleſtum tamen, ac moderatum ſonum, uti communi Fidelium bono proficuum, patienter à Vicinis ferendum ſentiunt *Maranta Controv. Jur. p.2.reſp.22. Novarius quotid. practicar foren ſ.qu.1.p.2. Oldrad.præd.conſ. & Rota coram Seraph.deciſ.847. n.1.* Imò, etiam ſi aliquantulum excedatur, ut *Neapoli* per Moniales patricias *D.Claræ* (quæ in *Tintinnabulorũ*, ac *Tubarum* ſonitu Mortariorumque exploſionibus ultra ſeptingentos annuatim ducatos impendunt) propè *Domum Profeſſam Patrum Societatis.* Et pro *Patrib. Prædicatorib.* deciſum affirmant prædicti.

An verò in caſu gravis moleſtiæ, *Campanario* pulſatio valeat interdici? Diſtinguunt Jure Conſulti nonnulli, Doctorum, ac Scholarium gratia, & cujuſvis alterius honeſtioris vicini, atq; infirmi, ut gravis, moleſta, immodica, & non neceſſaria coerceri debeat, quemadmodum peſtilens odor. *Tex. in l.2.§.idem ait 29. ff. ne quid in lo.pub. Cæpolla de Servit. Ruſt.præd.cap.43. de Aere*, & plures alii; ſiquidem ſalus nullo modo æſti-

ma-

mari poteſt quanti debet *l. ſi pater* 34. *ff. de Donat.* ejuſve gratia cuncta comparantur *l. Pecudũ* 18. *ff. de Uſur.* & notat *Luc. de Penna l. un. C. de ſtud. Liber. Urb. Romæ*. Aliàs, damno vel periculo non ſuperveniente, *Oldradi* ſententia negatiua præferenda: cum doceat, exemplo adverſus *Sybaritas Eminentiſs. Alciatus Parerg.* 8. 11. homines aſſuefaciendos auditui etiam ſtrepitoſo, ac moleſtiſſimo.

Præſertim in *Cathedralib.* libera, nec impedienda *Pulſatio*: ex *Menoch. de Arbit. caſu* 237. *nu.* 28. & 29. latè *Maranta d. reſponſo* 22. *ex num.* 39. *Seraph. d. deciſ.* 847. & *Frances* 24. 192. qui *nu.* 219. *fol.* 400. exemplare illud refert *Philippi IV. Hiſpaniarum Regis*, qui bellorum *Cataluniæ* cauſa peragrans, cum ægra valetudine maximum pateretur incommodum, impedire noluit *Cæſaraugustæ* frequentem nimis Tinnitum.

Videri poſſunt ad ornatum *Wilh. Domin. Lindanus in Apolog. pro Chriſt. Relig. p.* 252. *Antuerpiæ* 1570. *Maranta d. Cõtr.* 22. *to.* 2. *Novar. Pract. Quæſt.* 2. 1. *Pariſ. conſ.* 92. *lib.* 4. ex Noſtra-

ſtratibus *Banduccius Riboboli* nella *Declamatione delle Campane* impreſſ. poſt ejus libr. inſcript. *Le Trè Sciroc-che Cicalate Piſis* 1635. in 4. Et, ſi Commẽtarium philologicũ pervolvere non diſpliceat. Nos ipſi, *Studioſorum, Doctorumque* favore, pro Sonitu immoderato vitando, in Tractatulo noſtro de *Diſtantiis* uberrimè ſcripſimus. Quibus addendum pro hujuſmodì fabrilibus Officinis extra Urbis Mænia relegandis *Lipſienſe*, prudentiſſimum quidem *S.C.* apud Eruditiſs. earum rerum Scriptorem *David Peifer. lib.* 2. §. 14. *fol.* 145.

## CAPUT IX.

*Diverſo fine, ac modo pulſandum.*

TAnta eſt in Orbe Terrarum *Tintinnabuli* Jucunditas atq; Utilitas, ut abſque illius uſu quaſi lugeret, ac planè ſurdeſceret. Conſonans elogium *Guidonis Panciroli* de *Nov. Repert.* 2. 9. *Maximus* (loquens de eodem) *uſus eſt; ejus quippe beneficio Horæ etiam procul audiuntur,*

*tur, ſive noctu in lecto cubamus, ſive interdiu ab Horologio procul ſimul diſſiti, ſive etiam nubibus obductus ſit aer. Præterea invitat nos ad Divina Officia, exorto Incendio auxilium poſcit, & cum ad Arma deveniendum eſt, Concilium Civitatis convocat: ut & Scholares ad Lectiones frequentandas, Judices ad Jus Litigantibus dicendum, ac uno ut verbo dicam, omnes actiones publicas intimant, & ſine eo videri poſſumus quaſi deperditi.*

Hinc, pro vario Tinnitu, multiplex quoque ſignificans vocabulum uſurpatum: *Compulſare* ſcilicèt, quod omnia faciunt *Tintinnabula*; ut in majori ſolennitate, ac proceſſionibus ex *Honor. Auguſt* 1.70.73. ac *Durando* 1.4.12. & 5.30.30. Ut Populus maximè ſtudeat animum ad Deum elevatum præparare, quemadmodum *cap.* 19. *P. Roccha* explicare nititur. *Simpulſare* eſt unicum ſimpliciter *Tintinnabulum* admovere. *Depulſare* autem, ac vulgò *tinnire*, ex altera ſcilicet parte tantum illud pulſare. Demùm *Pulſatio Terroris* eſt quid valde ſonorum, quod

Vul-

Digitized by Google

Vulgus Gallicans dicit *Carillon*, ut in Bellicis tumultibus, actumque ab initio, tanquam res valde nova, in *Conceptionis B.V. ac D. Auguſtini* feſtiuitatibus, illa nondum ab Eccleſia probata, hoc in album Sanctorum Sacra Apotheoſi minime ſcripto. Quod hauritur ex *Epiſcopi Ratisbonenſ. Charta anni* 1278. in *Metropoli Salisburg. tom.* 1. *pag.* 264. Et vidit *Du-Freſne*, ut in ejus fertiliſſimo *Gloſſar. to.* 3. *pag.* 469.

Uſus Inſtumenti noſtri equidem plurimus, Domeſticus, Forenſis, Sacer, in aperiundis foribus, in Aedium cuſtodia, in diſcutiendis Tempeſtatibus, ac in aliis. Carmina ſequentia oſtendunt apud *Henr. Arnold. Stockfletum* in *de Campan. uſu cap.* 2. in nonnullo, quod reticet, impreſſa *Tintinnabulo*.

*En ego Campana nunquam denuncio vana*
*Laudo Deum verum, Plebem voco, Congrego Clerum*
*Defunctos plango, vivos voco, fulmina frango*
*Vox mea Vox Vitę, voco vos ad ſacra venite*

San-

*Sanctos collaudo, Tonitru fugo, funera claudo.*

Aliud Diſtichon magis pervulgatum

*Funera plango, Fulgura frango, Sabbata pango*

*Excito lentos, diſſipo ventos, paco cruentos.*

Et in *Naumburgico Thuringiæ*, longè antè indigniſſimum ex famoſa *Lutheri* Apoſtaſi Religionis adulteriũ, hæc verba inciſa *Maria dicor, Tonitrua confringo, Nociva pello, Dæmones fugo*, Quæ cum aliis alibi exculpta, in impio quidem *Reg. Papiſt. lib. 4. Thomas Neageorgus* tradit.

Ad populum eo ſigno vocandum antiqua conſuetudo, ac *Neapoli* forſan primum invecta, ex Actis, ac Lectionibus vetuſtiſſimis habetur *D. Severi*, circa quartum ſęculum anno 389. Epiſcopi; cum ad veritatem eruendam defunctus revixit ipſo mandãte. Fusè P. *Caracciol. Sacr. Monum. cap.* 14 *fol.* 310.

Quocũq; autẽ modo, ſive ad cõgregandũ, ſive ad opus agendũ, *Tintinnab.* pulſetur, ipſemet pulſus locari poteſt, & in actu per interualla tempo-

po-

poris diſtingui, ſic ut ab omnibus audiatur. *Muta ſuper Conſuetud.Panormi cap.60.nu.11.ac ſeqq.* Illo enim ſæpè Nox, ac Dies internoſcuntur ex traditis per *Tiraquell. Retr. Lign.* §.1.*gloſſ.*14.*nu.*4.

At ſalubriùs non parum, ſoni diſtinctionem in Eccleſia, optimaq; ratione, inſtitutam, à Sacris noſtris audiamus. Et *Guibertus Tornacus* præſertim *de Offic Epiſc. c.*15. *Signa,* inquit, *quæ in Miſſæ principio pulſantur argenteas Tubas ſignant, & ductiles*, quibus convocabatur Populus *in veteri teſtamento. Unde in lib. Numeror. Fac tibi Tubas argenteas, quibus convocare poſſis multitudinem. Et, quod diſtinguebatur antiquitus in clangore Tubarum, & differentia ſonituum, hoc idem repræſentatur nunc in Eccleſia, cum aliter pulſetur in Feſtis, aliter etiam pro Mortuis, & aliter in convocationibus faciendis.*

Præterea *Ord.Rom.* Auctor *Fer.* 5. *in Cœna Dom. Ipſa Feria quinta maióris hebdomadæ, ideſt in Cœna Domini mane primo Manſionarii ordinent omnia, quæ ſunt neceſſaria ad confecrationem*

Digitized by Google

*nem Chriſmatis &c. ipſo die ſonentur Campanæ ad Miſſam, & ad cæteras horas, ſicut mos eſt diebus ſolennibus.* Idemque tit. Qualiter Epiſcopus ordinetur in Romana Eccleſia: *Electus* inquit, *ſacris veſtibus indutus procedat una cum Archiepiſcopo, & cæteris Epiſcopis è ſacrario ante altare, factoque ibi ſervitio, & concrepantibus ſignis Eccleſiæ, Cantor incipit Antiphon.*

Reſidentiæ ſtricto jure interpretandæ, & forſan ex Divino minime diſpenſandæ quæſitum eſt de *Parocho* degenti in loco unde *Tintinnabulo*, vel Nuncio evocari queat Utrum reſidere dici poſſit? In quo *Baron.* plenè de *Citat. to. 3. in Add. ad q.* 10. *nu.* 14. Verùm ſponſi ad ſponſam, etiam ſpiritualem, adhæſio, Deo sẽper accæpta, Populo non modo utilis, quam neceſſaria, ipſique *Parocho* quandocumque ſuadenda, ac per majores iniungenda. Ex traditis Apoſtolico ſanè ſpiritu, & calamo, per *P.* olim *Reverendiſs. Jo: Paul. Oliva*, repetitis ſalibus in *Ethicis Commentationibus in Geneſim*. Vide *Cl. de*

*la*

*la Place de neceſſaria Parochor.in Eccleſiis ſuis aſſiduitate, & Reſidentia edit.Pariſiis* 1655.

Ut verò ad peculiares pulſationes procedamus, Religioſi hodie, horis quidem nocturnis, *Tintinnabuli*, ac Ligni pulſibus ad *Matutinum* excitantur: quorum nonnulli Cantu etiã pio, ac devoto, quemadmodum *Patres Capuccini*, & *Franciſcani* ſtrictiores. Citatus horum in *Hiſpaniis* pulſus, dictuſque *Appelles*, ea nimirum ratione, quia ex Igne purgante ſpiritus olim apparuiſſe, ſpe quidem initio cantus ad perpetuam tranſeundi Cęlorum Beatitudinem, Annales docent.

Dę *Clericis*, *Minimis*, aliiſque idem refert Eruditus *P. Maggius de Sacr. Cæremon.to.*2 *Opuſ.*1. *Diſquiſ.*12. qui Virginum *Theatinarum* Venerabilis *Urſulæ Benincaſæ Neapolitanæ*, cujus probavit ſpiritum *Divus Philippus Nerius*, ſuo donans ipſam pileolo, ob id quod pulcherrimè intepręta-tur *id.Opuſc.* 2. 27. Carminum hæc adiicit exempla non iniucunda.

So-

*Sorelle mie Care,*
*Deh ſenza dimora*
*Uſcite à lodare*
*La Gran Signora,*
*Col Santo Bambino,*
*Che il Sole è vicino,*
*Deh care Sorelle*
*Giesù v'invita*
*La Notte è finita*
*Laſciate le Celle,*
*Non fate dimòra,*
*Che ſpunta l'Aurora.*

Et Religioſi, & Seculares Canonici ad Sacras Horas *Tintinnabulo* vigilant, ex vulgatis. De *Canonicis Ceccoper. Lucubr. Can. lib. 2. num. 57.* ubi de cauſis, qui *lib. 1. 41.* ait ſono abſoluto ingreſſum fieri in Chorum: quo ſigno non dato utrum haud accedentes mulctandi *lib. 2.* diſpungit *num.* 59. & data hora, qua minus *Tintinnabulum* in ſacello pulſari ſolet, videtur, & incuria non pulſato, eos tamen culpandos.

Regulares *minori Tintinnabulo*, quod vulgo non ulli, maximè *Etruſci*, appellant *Squilla*, tenentur accurrere. Orta verò inter diverſi Or-

di-

Digitized by Google

dinis *Mendicantes* controverſia circa primum pulſum, pro expeditioribus deciſum. In quo vide *Boer.de Auctor. Magni Conſil.nu.87. & Cruſ. de Præcedent.cap.23.nu.3.*

Ad incruentum *Miſſę* Sacrificium eadem quoq; pulſatio canonicè inducta probatur ex *Abbat. Urſpergenſ.* textu *in Chron. Addit.* ubi annũ pertingens 1238. *Eo tempore*, inquit, *Gregorius IX Salve Regina certis Divinæ horis addi, Campanaſque ad Euchariſtiæ confectionem, & laudes Virginis Dei Genitricis pulſari decrevit, rem ſcilicet Eccleſiaſticam reformaturus.* Quibus addit *Arnold. Wion Ligni Vitę lib.5 Emblem.23 in Urb.II.* in Sacrificio ad mentes hominum excitandas pulſari, ut genuflectant &c.

In *Concionibus* ubique ex ritu vetuſtiſſimo, ut ex *Ferrario*, laudato jam o ere. Et de *Indiarum* more *P.Maffejus lib.5.ep.4. Imperato*, inquit, *majore Campana ſilentio, ut Concionator ſuggeſtum aſcendit, tum nos quoque ſenſim irrepſimus.*

Quod ſi *Epiſcopus* ſacris muniis adeſ-

adeſſe velit, ab ipſo *Tintinnabuli* pulſus hora præſcribēda, verum ad populi opportunitatem. Fuit *à Sacra Congreg.* reſolutum, quemadmodum *Barboſa* teſtatur de *Canon.* 32. 15. *&* *Ceccoper.* 2. 41. qui *num* 57. tactum *Organi* in Chori ingreſſu, majoris honorificentiæ gratia addendum ſubjungit; idque tùnc, & in exitu pro hilaritate quadam, hallucinatiſſimos Hæreticos in *Hollandia*, & maximè *Amſtelodamii, Hagæq; Comitis*, ſervare pulſando, vidimus pluries, & audivimus. Quanquam audax impiaque *Calviniſtarum Synodus Dordracena anno* 1574. ac 1578. Organica inſtrumenta in Eccleſiis Chriſtianis removenda cenſuerit Jo: *Hoornbeckio* pernotante in *Sac. Miſcell.* ſeu *lib.* 1. *cap.* 11. *fol.* 323. de *Pſalmodia*.

*Ad Veſperas* origo forſan ex illo *Pſal.* 54: *Veſpere & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam*. Ad quem Prophetæ locum *D. Auguſt. Veſpere*, ait, *Dominus in Cruce, mane in Reſurrectione, meridie in Aſcenſione*. E *D. Hie-*



Digitized by Google

*ron.* etiam benè proſequitur: *Veſpere cum Paſſionem ſuſcepit, mane cum reſurrexit, meridie cum omni claritate Virtutis ſuæ adimpleta Cęlos aſcendit, & ſedet ad dexteram Patris.* Quę arrident *cap.* 17. *P. Roccha*, nec incongruè.

Proceſſit deindè *Tintinnabuli* pulſatio cum *Sacra Hoſtia* in Miſſa elevatur, in *Gallia* quidem Chriſtianiſſima, ſæculi duodecimi initio, quod *Gulielm. Pariſ. Epiſc. to.* 7. *Concil. Binii* 1. 14. iis verbis prodit. *Sicut alias ſtatutum in celebratione Miſſarum, quando Corpus Chriſti elevatur, in ipſa elevatione, vel paulo ante Campana pulſetur, ut ſic mentes Fidelium ad Orationes excitentur.* Eodemque tempore *epiſ.* 143. *Ivo Carnotenſis Matildi Anglorum* Reginę gratias agit, ex eo quia *Tintinnabula* Eccleſiæ dederit *B. Marię Virginis*, ad ipſius Reginæ memoriam renovandã *Quando illa ſalutaris Hoſtia pro nobis redimendis in Ara Crucis oblata per novi Sacerdotii Miniſtros in Domini menſa quotidie conſecratur.* In *Germania* autem pius ritus invectus

*Gui-*

Digitized by Google

*Guidonis Cardinalis*, prius Abbatis Ciſtercii, & *Coloniam* Legati ad *Ottonis Cęſaris* electionem confirmandam, ope; De illo enim *Cęſar Heiſterbacenſ. 9. Dial.* 51. ſic ſcribit *Boná conſuetudinem inſtituit, ut ad Elevationem Hoſtiæ omnis populus in Eccleſia ad ſonitum Nolę veniam peteret, ſicque uſque ad Calicis benedictionem proſtratus jaceret.* Quæ refert etiam Anno Chriſti 1203. *P. Raynald. to.* 13. *Annal.*, arduos proſequens laudabiliter *Cardinalis Baronii* labores.

Quo tempore in *Italia* hujuſmodi mos initium ſumpſerit, incertum eſſe *Card. Bona* fatetur *Rer. Liturgic.* 2. 13. 2. *fol.* 400. Etiam ſi à nonnullis *Honorio III.*, ut *Uſpergenſ.*, ab aliis *Gregorio IX.* adſcribatur, opinante *Leandro Galganeto Jur. Publici* 3. 62. 4. *fol.* 251. De quó videndus *Cruſius Tracedent.* 23. 4. Facili curſu tamen ab immemorabili introductum non dubitamus. Idq; gravi pulſu, & laudabilius trino quã unico, ut ex pluribus noviſſime *D. Bernard. Biſſius in ſua Hierurgia to.* 1. *v. Campanula nu.* 44. Quod ſemel



Digitized by Google

moris eſt aliquando ante Sacratiſſimam Communionem, id gratis referente *P.Gauanto* 1.10.6. *Et Mediolani, D. Carolus*, ac *Fædericus, Borromai*, genere, Purpura, ac zelo pares, & *Ecclesiæ Ambroſianæ* firmiſſimæ columnę, ferè in cunctis Diœceſis ampliſſimę locis piè sācivere quod, cum in majori, aut Parochiali Miſſa cæleſtis Hoſtia cum veneratione populo extollitur, *Tintinnabulo* è ſacra Turri monerentur Fideles. Ad antiquum aptantes inſtitutum illud Antiſtites ii, in veterum Scriptorum lectione verſati, & ſanctiori diſciplinæ addicti, ut elegantèr pernotat *Joſ.Vicecomes de Antiq.Miſſæ Ritib p.lib.cap.*18. qui de vulgata apud Italos conſuetudine verbum facit. Addens, majoris Miſſæ finem eo ſonitu jampridem indicari conſueviſſe, teſtimonium proferens *Beroldi Mediolanenſis* in ſuis Manu exaratis Cæremoniis, qui: *Finita*, inquit, *Miſſa unus duorum Minorum* Cuſtodum *hebdomadariorū vadit in* Campanile, *& planè ſonat Tintinnabulum, ut omnis Civitas coguoſcat Miſſam majo-*

rem

*rem eſſe finitam.* Idque forſan ex majori erga Sacrum obſequio.

De ritu pulſandi cum ad Infirmos *Venerabile* defertur, abſoluto calamo ſcribunt *Innoceut. Cironius Decretal.Honor.III. 3. 24. de celebr. Miſſ.in Not.litt.B & C.fol.176.juxta edit.* Tholoſ. 1645. *in fo. Ricc. Deciſ. Archiep.Cur.Neap. 25.p.4. Ughell. Ital.ſac.in Epiſcop Praeneſtin. nu.33. & Uvido de parè pag.230.litt.D.*ubi plura de de Inventione.

Verũ de C*ampanulis* in *Proceſſionibus* conſuetis, conſulendi *P. Novarin.laud.Encyclop Epiſtol. nu.50. fol.* 11.ac *Eveillon de Proceſſionib. cap.3.* §.C*ampanulę fol.27.& ca.29.* §.*Oratio fit verſ.præmittuntur etiam fo.269* ob memoriam forſan vetuſtioris vocationis Fidelium formæ.

At præfatus *Arnold.Wion*, de ſonu tripertito dietim ad Virginem ſalutandam, C*aſinenſibus* Monachis merito arridens, ita proſequitur: *Inſtitutionem pulſus Campanę, qui fit Veſpere, mane, & Meridie, vocaturque Ave Maria, ex Schola Benedictina manaſſe indicat* C*ampanula illa*,

*quæ ſub brachio dextro ejuſdem Pontificis viſitur &c.* Urbani ſcilicet *II.* qui ex *Ciacconii* hiſtoria, circa annum 1090. floruit. Aequivocum tamen illud eſt ſymbolum, adverſus quod inſtituti noſtri minimè eſt calamum adſumere. Alii à *Gregorio IX.* morem derivant, & à *Ludovico XI.* Gallorum Rege, *Roberti Gaguini* fide *Hiſt. Franc.* 10. 12. Nonnulli ab *Honorio III.* de quo *Genebrard. Chron.* 4. *Anni* 1227. Plures Meridianum à *III. Calixto*, ſubrepta ſcilicet anno 1455. *à Mehemete II.* T*urcar.* Tiranno *Conſtantinopoli*, *B.* Jacobo *à Marchia*, *Divo* Jo:*Capiſtrani* ſuffecto, ut ex *Chron. Franciſc. p.* 3. 4. 21. *fol.* 278. Et à *XII.* Joanne Veſpertinum. In quo non penitùs cōſentiunt *Pol. Verg. de Inv* 6. 12., *Platina*, ac præfati Scriptores. In eadem ſententia pro *Veſpertino* ſtat *P.Caniſius in de B.V.Maria lib.* 5. *cap.* 27. Meridiani, ac Matutini Auctores incertos agnoſcunt plurimi. Videndi tamen *Cruſ. de Præcedent.* 23. 4. & *Caferr. Synthem. Vetuſtat. ad diem* 1. *Maii n.* 4. *fol.* 128. In abdito etiam quota hora

*Ga-*

Digitized by Google

*Gabriel Archangelus B. Virgini* acceſſerit. Ob eam cauſam pulſus matutini, ac veſpertini conſuetudo, ex *Ferreolo Locrio* 7. 13. *Mariæ Auguſtæ*, & Jo: *Azorio Inſtit. p. 2. lib. 1. cap. 17.* Et ex *Indiis* clariſſimus ſcriptor *P. Maffeius, ep. 9. Ubi verò Angelicus Hymnus intonuit, cõfeſtim Aera Campana vi ſumma pulſantur.* In Romano *Germanico Imperio*, & apud Gentem illam Meridianus paſſim pulſus alius eſt à Matutino, ac Veſpertino, in memoriam Dominicæ Paſſionis, ut Jodoc. *Lorichius* Friburgenſis P... ſſor tradit in ſuo *Theolog. Theſauro V. Campana pag. 467. vol. 1.* Nos vero apud *Noricos* alioſve *Auguſtanæ*, ut vocant, & Acatholicæ *Confeſſionis*, iis horis *Tintinnabuli* pulſus quoſdam audivimus, quos ad diei partes tantum potiſſimas diſtinguendas, ab iiſdem curioſè didicimus. De aliorum pulſuum pietate ad *Virginis* honorem, applicanda ſententia *Bernardi Homil. 2.* ſuper *Miſſus eſt*, ubi ſemper melliflue, *In periculis* inquit, *in Anguſtiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Ma-*

L 4 *riam*

Digitized by Google

*riam invoca. Non recedat ab ore. Non recedat à corde*. Et quæ proſequitur non deſinas videre.

Majori autem, vel minori *Tintinnabulo* juxta loci conſuetudinem triplex illud ſignum tradendum, ictibuſque *in Urbe* ac *Neapoli* treſdecim, duodecim ſcilicet pro *Virginis* privilegiis, apud PP. maximè *Regulares Clericos* admodum cultis, & poſtremus ad finem, ac ſurgendi tẽpus monendum ex præfato *Franc. Ma: Maggio* habuimus *de Sacr. Cæremon. to. 1. diſp. 3. fol.* 17. ubi de aliis conſuetudinibus ad majoris Eccleſiæ ſignum ſequendum, præſertim in majoris hebdomadę ſabbato. Diximus ad *ſurgendum*, nec inutiliter, cũ flectamus genua exceptis diebus Dominicis ac Paſchali tempore, quibus ſtando preces recitamus. *Id. Maggius*, qui in ſuis *Centum Diſquiſit. de Menſa*, caput ad eum pulſum detegendum in Menſa, & ab aliquib. etiam ſurgendum eruditè probat.

Ad quem pulſum dives *Indulgentiarum* ſacrarum Theſaurus. Centeni namque dies ultra ſeptem reci-

tan-

Digitized by Google

tanti eo tempore *Ave Maria*, & ad quamcumque *Horæ Canonicę* pulſationem. Ex *eod. Maggio to. 2. ſive de Offic. & Choro Opuſ. 1. diſquiſ. 3.* Indulgentias verò plenarias in eo ſigno ad ſolis occaſum recitanti tripliciter Angelicam ſalutationem, cũ Verſiculis conſuetis *Angelus Domini &c.* tradunt nonnulli *Adrianũ VI.* conceſſiſſe, recenſque confirmatas. Et quanquam plurimæ à laudabili *Innocentii XI.* ſanctæ memoriæ cenſura ſuſpenſæ, vel abrogatæ fuerint: aliarum tamen fæcundus apertus eſt ager, de quibus authentici ex Tribunali non veteri proſtant Cathalogi. Scimus *Gregorium Pontificem IX.* de quo ſcripſimus *Vaticanę* Baſilicæ *Tintinnabula* fudi juſſiſſe, mandaſſe quoque ut in pulſu ad ſolis occaſum *Hermanni*, ut volunt, *Contracti* Præcatio *Salve Regina*, in qua verba quoque *O Clemens &c.* in Eccleſia Cathedrali *Spirenſi*, quã bis ex affectu pio inviſimus, *D. Bernardus* adiunxit, ipſa Deipara iis verbis *Ave Bernarde* ſplendidè adprobante, caneretur. Ex *Alphonſi*

*Ciaccon.* editione in Urbe noviſſima 1677. *to.* 2. *fo.* 70. *litt. F.* ubi *Victorell. in Addit. fol.* 73. *litt. A.* poſt *Abb. Uſperg. ac Genebrard. Chronol. lib.* 4. Validiſſima tamen Angelica tunc ſalutatio adversùs Cacodęmonem ejuſq; inſidias ac proſtigia, ut *Binſfeldius lib. de Confeſſ. Malefic. p.* 2. *dub.* 6. *Remig.* 1. *Dęmonol. cap.* 26. aliique tradunt.

Eodem ſigno per horam, vel alteram pluribi, ad Preces pro iis in mortis agone conſtitutis, piiſſimè nunc prævenitur. Sic *Nolę* ipſius repetito *Paulimani Tintinnabuli*, hora viceſima prima, triplici ictu noſmet audivimus.

Pluribus autem in locis in puncto ſeminoctis hujuſmodi ſignum datum, velut *Neapoli* ex grandiori *S. Martini* Carthuſiæ illius inſignis, Monachos ad Matutinas horas primum vocante. Quo indicio valet, an die noctuque, juxta pęnales Pragmaticas, malefactum. Notavit *D. Cæſ. Calà. p.* 434. *de Feriis*, & vide aliquot in libello Anonymi, ſeu *Diſquiſitione de Nocte*, Bremæ edito anno 1652.

1652. ubi & de *Gallicinio*.

In ſolemnis gaudii ſignum *Tintinnabulis* Divinorum Officiorum celebrationes indictas illud *Guilielmi Neubrigenſ.* 2. 33. optimè ſuadet. *Hoc latè pervulgatum, atque in cunctis Anglorum Provinciis gratè ſuſceptum eſt, Campanis pro ſolemni Lætitia concrepantibus.* Univerſim enim ea ſigna lætificant: ad quod *Guillelm. Briton. Philippidos* illud facit *lib.* 12. *V.* 244.

*Nec ſolum cantu, vel geſtu corporis ardor*
*Exprimitur mentis; verum per Caſtra, per* Urbes
*Claſſica per Vicos reſonant, ut multiplicato*
*Concentu majore ſono ſe vota revelent*

Similiter in *Quirinalib. Carm.* 28. *Metellus*

*Et gaviſorum cecinere chori Monachorum*
*Movendo ſigna, quæ dedit Campania*

Sic *Areoſtus Can.* 46. *St.* 2.

*Sento venir per allegrezza un tuono*

*Che fremer l'aria, e rimbombar fà l'onde*
*Odo di Squille, odo di trombe un ſono,*
*Che l'alto popolar grido confonde.*

Henricus *Huntidionenſ.lib.7.* de Henrico Rege *Perſtitit*, inquit, *in campo, donec optimates hoſtium capti ſunt, & ante pedes ejus poſiti. Reverſus vero Rothomagum, in ſignorum ſonitibus, & Cleri concentibus, Deum, & Dominum Exercituum benedixit.* Tintinnabulis enim ſonantibus Principes ſummi excipiebantur ex *Barth.*Eruditiſſimo *Animadverſ.*ad *prefat.Briton.fol.729.*textum proferens Auctoris *Addition.*ad Lambertũ Schaffnaburgenſ.in anno 1184. ubi *Rex*, inquit, *ſicut inſtituerat profecturus in Poloniam venit Halle. Ubi, dum cum Proceſſione ſuſcipitur, ruptis funibus Campanæ ceſſaverunt*: ingentem, & forſan indiſcretam explicans Lætitiam.

Exceptos *Ceſares* pios, indefinitè probat *Novarin.Schediaſm.ſac.prof. 1.27.nu.132.fol.39.* Sic Romæ, velut altera *Saba* ab *Alexandro VII.*Ponti-

ti-

tificio Salomone, *Sereniſs. Chriſtinæ* Svecorum, Vandalorum, Gothorumque *Reginæ* ſapientiſſimæ, auguſtè admiſſa. *Comes Gualdus Prioratus* ſcribit. Et Canonici Juris Interpretum ſententia communis eſt, ſignum eſſe quandoque Honoris, & Gaudii *Tintinnabuli* ſonitum, quo proceſſionaliter Viris Principibus, ac Majoribus aliis occurritur. De hujuſmodi *Patriarcharum*, ac *Prælatorum* adventu ſcribunt *Zabarella*, *Hoſtienſis*, *Abbas*, *Bellamera* aliique in *primo Decretal. lib.* jam ſæpe laudato de *Cuſtod. Offic. cap. 1.* De *Imperatoris & Regum*, exempla poſt *Surium* in *Sanctorum Actis* per *PP. Bolandum*, *Henſchenium*, & *Papebrochium*, in feraci, & curioſo quidem Muſæo *Antuerpiæ* compilatis, atque à nobis inviſis. Quemadmodum ſequuta *Electione* ad munus publicũ, Viri cujuslibet inſignis, ac meritis fulti. Ob *Victoriam*, ac Triumphos de Fidei hoſtib., ac ſimilia. *Fagnan. in præf. cap. 10. præd.*

In *Epiſcoporum*, & *Abbatum* acceſſu, per Eccleſias ipſis ſubditas ibi-

que

Digitized by Google

que pulſatum, in *Monaſtico* legitur *Anglicano to. 3. pag. 164. ac 334.*, & *Matth. Pariſ.* ex anno 1245. in Litteris *Innocentii* Papæ ad *Lincolnienſ. Epiſcopum*, ut cum *Tintinnabulis* reverentia ſibi tanquam Patri exhiberetur mandatum, *fol. 463.* ſcribit. Qui anno 1240. refert Anglorum Regem *Ricardum*, Anglię *Accone*, in *Tintinnabulorum* claſſico, & cantu Eccleſiaſtico recæptum. Videndus omninò *Turonenſ. Gregor. 6. 11.*, & quiſquis alius per *D. Du-Freſne p. 1. Gloſſar. fol. 711.* fideliter indigitatur. Quę conſuetudo jure pręſcripta, hoc ævo ferè ubique obſervatur. Idẽ in ſummis Sacrorum Ordinum Patribus, Cęnobia, vel Conventus Viſitantibus: quod Nobis pro *Sereniſs. Parmæ Duce* urgentibus, in *Altamuræ* Principatu, ac Urbe apud *Appulos*, in *Reverendiſſimor.* Magiſtri Generalis *D. Auguſtini*, & Commiſſarii *D. Franciſci* acceſſu, hilariter actum.

Romæ *Sanctiſſimus Pontifex*, ſive in Rheda, ut cum duob. nonnunquam *S. R. E. Cardinalib.*; ſive in lectica, vel

ſede

ſede frequentius, plateaſque pertrã-ſiens, præcedente nobili ſelectoque Equitatu, *Tintinnabulis*, Templorum quorumcunſque, flexiſque obviantium genibus, quibus peramanter Benedictionem elargitur, lætiſſimè excipitur. Cujus fęlicis fauſtęq; *Electionis* nuncio adveniente, cuncta hęc ęrea ſigna *Neapoli*, & apud fideliores Orthodoxos pulſata. Ipſius obitum autem in Urbe, Capitolinum, ſeu excelſi Magiſtratus *Tintinnabulum* grandius enunciat: cętera vero pet Orbem Catholicum.

Nos minimi, pro *Sereniſſ. præfato, Parmæ, ac Placentiæ Duce*, in Aula *Regia Neapolitana* Ablegati, *Altamuræ* Principatum Urbemque non ſemel inviſentes, grandiori ſummi Templi *Tintinnabulo*, cęteriſque minoribus, populo ad quatuor millena capita, & ultra, Eccleſię Viris, Patriciiſque, Antiſtite ſacro, ac Prętore occurrentibus, honeſtè fuimus admiſſi.

Et *Principum*, ſelectis quidẽ ac ſupremis *Miniſtris*, Honorẽ hunc prędandum (ubi præſertim maxima co-

rum viget Juriſdictio, & qua potiſſimum, ex *Caroli V. Cæſaris*, & *Philippi II.* Hiſpaniarum Monarcæ Indultis plurimis Supremę *Farneſię*, Regii, Auguſtiq; Sanguinis Proſapiæ, Heroibus quidem *Sereniſſimis*, Nos met immeriti fulgemus) volunt quoque Doctores notæ melioris: iidem addentes, in Templo, vel Baſilica Sedem, locumq; præſtantiorem, extra Chori Cancellos, ſeu Sanctuarium omninò deberi. Sic, per Sacrorum Rituum Tribunal deciſum refert *Pignatell. Conſult. Can. 7. num. 28. ac Panimoll. Deciſ. Eccleſ. 1. Annot. 11. n. 34.* ubi, & quod Incenſum, ac Pax danda: & ſi ex Prælatorum albo fuerint, veſteque utantur prælatitia, vel Capitis cujuſvis Provinciarum Gubernatores, turificandi ante Canonicos, & ante Generalem Vicarium.

Aliâs verò præcipuas Signorum, vel Pulſuum cauſas, ac rationes narrantes, dicimus longè hinc Majus *Neapoli Tintinnabulum D. Laurentii* mulierum partum monuiſſe, ut Fideles pro fælici fætu preces funderent, meliori quidem ſorte quam Ethni-

Digitized by Google

Ethnici in *Junonis, ac Lucinæ* olim templo, ut *M. A. Surgentius* in ſua *Neap. Illuſ.* 1. 11. 34. Hodiè tamen ferè cuncta Eccleſiarum Aera, quò major extat Pietas, eadem pro cauſa dant ibi ſignum *Ave Maria*.

Poſt *Partum*, ac *Baptiſma*, ſacro unguntur *Chriſmate* Fideles. Ad quod Sacramentum alicubi hodiè hoc pulſu laudabiliter vocari. De antiquo autem more *Ord. Rom. Auctor de Div. Offic. in die Jovis Sancti* ſic ſcribit *Ipſo die ſonentur Campanæ, ſicut mos eſt diebus ſolemnibus, ut omnes veniant ad Eccleſiam, in qua Chriſma mos eſt conſecrari.* Honor ex multitudine populi decuſque accedebat functioni, ex *Joſ. Vicecomite in Obſerv. Eccleſ. de Antiq. Confirm. Ritib. lib.* 1. *cap.* 22.

At, *Contagioſæ Luis* tempore, cui perpetuò mors imminet, preces tinnitu ſignificatas *D. Carolus Borromæus* mandavit Sanctiſſimè in *Act. Mediol. p.* 1. *Conc. Provinc.* Qua Romæ graſſante anno 1657. horis veſpertinis, Hymniſque ſacris, cum Indulgentiis emiſſis *Alexander Pa*-

pa

*pa V II.* eodem cum ſigno Fideles, ut orarent moneri juſſit. Preces individuales tunc legendas adfert *P. Maggius* in laudato de *Sacr. Cærem. to.1.Diſquiſ.12.fol.87.*

In Jus per *Tintinnabulum*, vel Tubã vocari, preter praxim Urbium quidem preſtantiorum, ex *Boer.* diſcimus *deciſ.230. Marant.* in *Specul.* atque *Cæſ. Calà de Feriis qu.3.nu.60.* Conſtat præſertim in Curia *Urbis* Capitolina, & Magne *Neapolis* Vicariæ. Videndus *Baron.lo.ſæpe laud. de Citat.* ubi, & de *Parlamento*, atque *Capitulo*.

An in ſignum Supplicii ſimiliter pulſare fas ſit, ut de *Magn.ead. Curia Neapolitana* prolatum eſt, pluribuſque in locis Italiæ maximè conſuetum, *P.Diana* coordinatè diſpungit *to.8.tract.8. Reſol.3.* pro affirmativa præſertim.

Et cum Divina Juſtitia *Bellorum* tumultibus, & apparatibus homines ad Patientiam invitet, pulſantur aliquando *Tintinnabula*, manu *ſacri Cuſtodis*, ut laicali mandato milites ad *Bellum* prodeant. Vulgo dicimus

ad

ad *Arma*, & ſcribit *Zerola* in *Praxi 2. verb. Campana*. Sic agitur, dum à *Locuſtarum* moleſtia, Principe mandante, per quoslibet de populo, purgandi ſunt Agri. Primo caſu Epiſcopi facultatem ad id impertiuntur abſque metu *Irregularitatis*, etiã ſi mors per accidens ſequatur, hoc enim hortari eſt ad defenſionem juſtam, non occidere. *Ad tex. in cap. falſas de pænit. diſ. 5.* qui tamen textus parum facit ad materiam. Monet verò Epiſcopus *Rebuff. tit. de mittendo in poſſeſſ. nu. 32.*, ut priùs circumſtantias moderent, nec in eo concedendo ſint leves. Cenſuram incurrit quidem *ad Arma* pulſans, vel pulſari mandans delinquẽtis capiendi gratia, cum hac de cauſa is moritur. Ex *Majolo de Irreg. 2. 10. Quaranta in Summa Bullarii v. Campana*, & ferè communiter.

De tempore, ac effectibus ſcribunt *Novar. quæſt. for. 112. 1. & in Prag. 1. de Perſeq. Malefact. 2. & ſeqq. Danza Pugnæ DD. to. 1. & 2. cap. 8. Baron. ubi infra. Capon. Diſcept. 33. 25. tom. 1.* aliique de *Armis* ad ſonum depo-

nen.

Digitized by Google

nendis *Savelli Pratica Universale* §. *Derobati nu.1. fol.* 137. ubi de Stylo Ducatus Florentini; *&* §. *Otri nu.3. fol.*297. In qua pænali materia peculiaria ubique adſunt Jura, quæ Eruditionis gratia videre prodeſt. Ipſe tamen Sabellus litt.*T.*§.*Titolati nu.1.fol.*403.de univerſa præſtantiorum Aulicorum *Sereniſſimi Magni Ducis* Immunitate, gladio tantum, ac pugione ad tinnitum uſque eorum famulis permiſſio.

An ejus ſonitus credulitas,à pęna excuſet *Armorum*, *Bertazzol.* reſpondet *Conſil.Crim.*46: *nu.*10. *to.*1.negativè,cum quis juſtè credat id ſibi licuiſſe, unde ceſſat dolus ex traditis per *Bartol.l.*1.§.1.2.2.*ff. quis teſt.juſſ. fue.* Ceſſat quoque pæna,ſi alibi pulſetur, & non ubi Arma deferuntur. Ita *Baron.* in pluries laud. *to.* 2. *de Citat.Add.ad qu.* 10. *nu.*8. amplians Statuta ſtrictè interpretanda, ſicque minime contumax,qui feria quinta, ac ſexta majoris hebdomadæ ſilentibus *Tintinnabulis* defert Arma. Videatur *Guazzin.* ad *Defenſ. Reor.* 3. 3.*nu.*11. qui tuetur anteriorem poſte-

Digitized by Google

ſterioremque conſuetis horis pulſum haud nocumentum præſtare. Nec Surdo unquam obeſſe cum Armis detecto, ſi talis fuerit à Natiuitate, perinde enim ſe habet, ac ſi captus fuerit, ubi audiri *Tintinnabula* nequiverāt; quicquid jocans de Surdo ad Sonum, vel Muſicam percipiendam Experimētalis *P. Schotti Magia to. 2. p. 2. lib. 3. ſynt. 3. pag. 4. fol. 166.* tradat, ita quod per ipſum dentibus apprehenſa cheli, vel teſtudine, aliove longi colli ſonoro inſtrumento, ſtrictove in extrema parte in ſonum per alium concitata, ſonus, ac harmonia cum delectatione percipiatur; Aer enim externus cum interno implantatoque per oris foramen ad palatum intra acuſticum organum cum aere communicationem oſtendit, nervum afficiens, ac ſenſationem cauſàns. Et Monochordo ipſum intervalla Muſica exhibere poſſe quęcumque, *Bettinius Apiar.* 10. *Prog.* 1. *Prop.* 1. *ac* 2. ſcripſit.

*Ignis* timore idem conſuetum, ut ſępe contingit, maximè apud *Germanos* in ligneis ædibus: quo caſu ex

tin-

tinnitu monentur electi Viri ad auxilium Aquis præſtandum, ut Vigiles olim. Nonnihil ex *Poeta Areoſto Jo: Bonifacius de Ratione loquendi per Nutus* Italicè producta *p.1.fo.317.* iis ejuſd. Poetæ verſibus.

*Qual è colui, che prima ode il tumulto,*
*E de le ſacre ſquille il batter ſpeſſo,*
*Che vegga il Fuoco à neſſun' altro occulto,*
*Ch'à ſe che più gli tocca egli è più preſto.*

Moniales quoque ſic congregari probant ex *Concil. Mediol. Bengeus, & Pinſſonius de Benef. p.1.2.59. fol.151.* Studioſos vocari ad Athenæum *Jacob. Mindendorp. Academiar. Univ. Orb 1.11. fol.62.* aliique ſimiliter, nec diſſimilibus cauſis.

In Bacchanalibus Romæ, & prodeunte Senatu cum Braviis, ſeu præmiis Curſorum, bini *Tintinnabuli* Capitolini ſignum lætiſſimum.

PP. Societatis parvo eode ære, *Regum* Legatos, & *S.R.E. Cardinales* in eorum domos admittunt, ubi ſingulis horis, & citius hoc pulſu tempus opti-

Digitized by Google

optimè dividunt. Alii Regulares, ut Prædicatores, Conventualeſque Romæ, ſimili planè forma Purpuratos Patres ad juridicos cætus, vel ſacra accedentes, honeſtè ducunt.

Pro *Defunctis* pius quoque & non novus *Tintinnabuli* ſonus, cum, & Ethnici in Funeribus *Tuba*, vel *Tibia* canerent, in mæſtitia formam aptata. Hinc *Propertius* 4. de mortuali *Corneliæ* pompa tanquam de pauperiori

*Si meſtę cecinere Tubę, cum ſubdita noſtrum*
*Detraheret lecto fas inimica caput*

Et argutius eodem loco de Equeſtribus

*Nec mea tunc longa ſpatietur imagine pompa*
*Nec Tuba ſit fati tanta querela mei.*

In pręſtantioribus eadem *Tuba* uſos *Hebręos* ex *Matthæi cap. 9.* probare ſtudet *Martin. Geierus de ipſorũ Luctu fol. 77.* ac *P. Mendoza in Viridar. 8. 2. lib. Saturnal. dec. 8. num. 16.* patentque nonnulla in *Variis Tho. Bartholini de Unicornu Obſervationib.*

& apud

& apud Juniorem in de *Antiquorum Tibiis*. Græci enim, ac Romani *Aeris Tinnitum* defunctos juvare cenſebant, quod *Theocriti Scholiaſtes* antiquus docet: utpotè purus, & Spectra avertens, quemadmodum ſuperius retulimus, & *Ovid.* iis *Faſtor.* carminibus 1.3.

*Quocumque aſpiceres Luctus gemituſque ſonabant*
*Formaque non taciti Funeris inſtar erat.*

Et *Lacones* Rege defuncto *Lebetes* pulſabant ex *Plutarcho*, & aliis apud *Anglos* Ritus jampridem ſolẽnis in Monialium obitu *Tintinnabulum* ſonare, docet *Beda* 4.*Hiſt.*23., & videndus *Albert. Pighius* in ejus Regni *Hiſtor.* Undè apud Noſtrates Adagiũ profluxit, quod *Moriturus, citò faciet ſonare Campanas*: de quo *Aligherii Purg.* 8. ad Veſpertinum pulſum diei obitum, quaſi lugentem lepidi verſus,

*E che lo novo peregrin d'amore*
*Punge, s'ode ſquilla di lontano*
*Che paja il giorno pianger che ſi muore.*

Alii

Digitized by Google

Alias ob cauſas plauſus *Tintinnabuli* ſono, ut agunt *Lucæ* in *Etruria* ex altera noctis, ad Aurorã uſq: ære alieno vincti, qui ex Reipublicę beneficentia immunes, tunc valent concordias cum ſuis Creditoribus inire. Senatus ibi Turris egregia, cũ *Nolanis* equidem perfectiſſimis, ut in pręclarioribus Italię Urbibus. Aliàs Epiſcoporum permiſſu, Sacris ſuppletur.

Item ſummi Templi *Mutinenſis* majus *Tintinnabulum* ſecunda pro cujuslibet menſis calendis feria pulſari conſuetum *Alberti Boſchetti* Epiſcopi decreto, aliis de mane cunctis, & pro populo convocando ſilentibus. Quod à *P.* Ughellio *Ital. ſac. to. 2. pag.* 157. *lit. B.* authenticè refertur.

*Londini in Anglia* poſt tertiam matutinam, penſo in Turri ad *Burſam* (Platea cum peryſtilio intus foriſve, & ſubfornicatus locus eſt Mercatorum) T*intinnabulo* quotidiè vocatur; quod pluries audivimus, ac vidimus. Quemadmodum *Florentię* ac in *Magni Ducis Etrurię* ditione Fęliciſſima univerſa. *Mercatus* eo

ſono. Sic *Savelli* nella *Prattica Univerſale* 1. *fol.*65. ubi de conſuetudine, & *fol.*219.*nu.*2.*ac* 3. quod antea contrahi nequeat.

Verùm, ad *Nundinarum* privilegium, ne Debitores maximè gravētur eo tempore *l.un. C. de Nund.* ad decennium Romano Jure, Saxonico vero ad trigeſimum primum annum ex *Veſembecio paratitl. eod.tit.*, cum poſtea cũcta privilegia ſint pręſcripta. Libertas in *Hollandia* perdurat quouſque publici ſignum *Tintinnabuli* auctoritate Magiſtratus perduret; tunc enim quilibet ſe poteſt providere ad *l.non dubito ff.de Captiu.Jacob.Vander Gracf Syntag. Jur. Publ. cap.*29. *num.* 8. Quod ut melius notum fiat, eo ſigno mos eſt illas inchoare, ac finire apud quamplures, ut de celeberrimis *Francofurti ad Męnum*, *Lipſię*, alibive apud Germanos. *Berlich.p.*1.*concl.*53.14. *Everard. conſ.* 31. & *Carpzou. Juriſprud. Polit.conſt.*30.*defin.*24. teſtantur.

Is pulſus, quem *Saracęni*, ac *Turcę* ſacrorum Rituum Chriſtianique

no-

nominis hoſtes acerrimi perpetuo odio habent ex *Ambroſ. Morales ad l. 1. Memorial. Sanctor. B. Eulogii nu.* 18. etiam ſignificavimus, ab invidis jugulatur Sectariis cauſa maximè funebris pompæ, & *Synodo* vetante *Dordracena* anno 1574. *cap.* 47. *Cacabi Papiſtici* titulo, etiam ſi nonnullorum ex iis, in cadaveribus efferendis conſuetum, ut *Londini* ex *Veſt-Monaſterienſis Turris* concentu, & in oppidis quibuſdam *Inferioris Palatinatus* apud Proteſtantes mortuali non modo, verum & piis Sacriſque aliis de cauſis, etiam preces fundendi, aut nobis relatum curioſo aure obſervavimus. Valere aiunt *StocKfletus* 26. *fol.* 125. & Jo. *Stadem Quenſtedt* Doctor *Wittemberg.* de *Antiq. Varior. Ritib. ſepulchral. pag.* 103. ac *ſeqq.* ad Fideles commonefaciendum fragilitatis humanæ: quos cohortari ad comitandos defunctos, ſeu ut funus indicetur, populoſque ad illud ducendum vocetur: vel pro iis preces fundendas, jure volunt *Durand. p.* 22. 4. & 23. 14. *Gulielm. Bernard. lib. de Sepultur.*



Digitized by Google

*Exequiis, &c. Samuell. de Sepultur.* latè *Tract 2. concluſ. 4. fol.* 387. aliique eundemque pulſum *exclamatorias voces Defunctorum* in *lib. de Purgatorio* ſub *fin. Tavernerus* appellat: quia ſane prodeſt, utpote ad preces indirecto juvamine excitativus. Plura videnda apud Jo: *Severanum lib.* cui Titulus *Pretioſæ Mortes Juſtorum.* Conferre quoque ad Vivorum ſolatium, dignitatemque, ac ſolemnitatem Funerum ex *D. Auguſt. p. de Civit.* 12. & *lib. de Cura pro Mortuis agenda cap.* 2. *Honorio de Anima Gemma* 4. 116. & ornatius ex *P. Rainaudo in Heteroclit. ſpiritual.* 2. 7. *ſeu Oper. to.* 15. *fol.* 412. *& ſeq.*

Varia eſt proinde in Eccleſia pulſandi forma præſcripta; ſiquidem pro Pauperibus, & infimæ ſortis hominibus vna, pro majoribus, Patriciis, ac Principibus alia, & ſolemnior. Sic pro Viris, Fœminis, Clericis, Laicis, omnino diverſa, alicubi ſaltem. Qua in re *Sammarin.* conſulendus *in Theſauro Sacerdotali p. 3. tit de Campanis.* Etiã ſi bis in morte mulieris pulſari, ter Viro

vita

vita functo *Bongi*. de *Numer. Myſter. pag.* 153. adnotaverit; ſervato ubique Regionum more, vel tintinnando, ut *Romæ*, vel brachiis laxatis, ut *Neapoli*. In Principum morte, ſtatim, ac expiraverint, alibi dùm funus deducitur: alibi vero utraque vice idem pulſus. *Militibus*, juxta gradus, ex bellicis inſtrumentis, meſtæ, ſeu funebres exploſiones addictę: quemadmodum ex majoribus triplicis Arcis tormentis, ſingulisque horarum quadrantibus flebili ſanè murmure, in obitu *Excellentiſſimi* ſemperque recolendi *Proregis*, & *Capitanei*, ut vocant, *Generalis*, *Marchionis Carpii* curioſè, dolenter tamen *Neapoli* commorantes audivimus.

Sanciendum tamen in Funeribus, ad loci conſuetudinem, *Tintinnabulorum* pulſum *Paulus Pontifex V.* mandavit: adfertque in *Cæremonial. lib.* *Totinus* 1. 3. 42. poſt *Duran. Div. Offic.* 1. 4. 13. ubi cauſas explicat, monetque ſonum adhibendum cum Cadaver ad Eccleſiam ducitur, ac in tumulo deponitur: quo tempore

alicubi tinniendo, ut in Urbe; alibi vero laxatis funibus, quemadmodum *Neapoli*. Et, *Viennæ Auſtriæ* grandiora curant, præſertim ſummi Templi, brachiis quidem ſolutis, & ingentibus ad florenos centenos ſumptibus. Efflato ſpiritu monendum ſic ſtatim ad Salutationis Angelicæ formam diximus, ex Noſtratium praxi, & ex traditis per *P. Maggium de Sacris Cæremon. tom.1. Opuſc.1.diſquiſ.11.fol.77.* Capitulum autem Canonicorum ſtatuere non poſſe, quod grandius *Tintinnabulum* quod dignius parvo habuit *Rota coram Bichio deciſ.566. num.16.* ubi quod ejus pulſus tribuit præcedentiam, pro Patriciis tantum pulſetur *Ceccoper.* probat *Lucubr.Can.4.num.197.* ac *ſeq.* ubi tamen minimè improbandum ſtatutum illud ad funebres Poceſſiones quam Capitulo convocato adhibendi; etiam ſi, ad *Proceſſiones* cunctas per illud vocacatio. Ex *Novarino Encyclop.Epiſt.8.50.* Ubi ſi *Curati*, & *Capellani* parvo, *Canonici* grandiori. *Ceccoper.1. num.203.*

Quæ

Quæ pulſatio cum cæteris *Funeris* impenſis repetenda probatur per *Gloſſ. Angel.* alioſque *in l. ſi ex re §. fin. ff. de ſtipul. ſerv. l. at ſi quis Labeo ff de Relig. & ſumpt Fun.* & ſequitur *Vivius deciſ. 307. nu. 3. & 4. lib. 2. fol.* 415. habitoque conſervationis, & refectionis reſpectu in caſu hoc nonnihil exigendum *Philipp. Knipſchild.* ſcripſit *de Jure & Privil. Civitat. Imper. lib. 5. cap. 20. n. 54.*

Et quia hujuſmodi excitativum Defunctis eſt valde proficuum, media vel prima noctis hora pio tinnitu de Animarum in Purgatorio cruciatibus fit mentio. Quem frugiferum morem jam ubique propagatum in patriis Eccleſiis primum invexiſſe *Mariam Laurentiam Longam Neapolitanam D. Cajetani* Diſcipulam admodum venerabilem *P. Jo: Rho lib. 1. Exemplor. 4. 12.* narrat, & ex *P. Silos Hiſt. Clericor. Regul. lib. 5. fol.* 171. *Quartus de Benedict. tit. 2. fol.* 221. citra dubium, quin tanti Magiſtri ope, & conſilio: ac *P. Maggius* 1. 1. 11 *fol.* 80. Ritumque præconito digniſſimum in Indias



Digitized by Google

Apoſtolico ſane ſpiritu tranſtulit *D. Franciſc Xaverius*, ut *P. Horat. Turſellin*. 2. 11. in ejus Vita.

Imò, non tantum ubique pro Defunctis, verum ad Chriſti ſervatoris obitum ac merita memoranda pro iis, qui in poſtremo vitali certant ſpiritu, valdè frequens pluribus in locis, hora viceſima prima piiſſimus pulſus.

Ad convocandam itaque Populi multitudinem, Verbumque Dei audiendum præſertim ſonus hic adinventus. Per *Fagnani* explicata in *cap. Patentib. num.* 12. *ac* 22. *de Privil.* & *Franc. Bernard. Ferrar. de Ritu Sacr. Conc. c.* 7. Quo, Præconis vel Nuncii vice, *Collegia* ſeu *Univerſitates* ad certam horam præter jam adductos auctores *Narbona in Horogr. Iur. Anteloq. n.* 38. ubi id acto, etiam infra duplicem partem poſſe dum oporteat eligi, vel negocium diffiniri. *Cobell. in Bull. Boni Regim.* 31. 129. de obligatione etiam ſono inaudito. Qua in re videndi, & quo ad alia de varia pulſatione, *Baron. de Citat. to.* 1. *q.* 10. & *to.* 2. & 3. *in*

*Addit.*

Digitized by Google

*Addit. ad eand. qu.* 10. *Philipp. Knipſchild. de Jurib. & Privil. Civit. Imper.* 5. 26. 62. *Id. Fagnan in cap. Cuſtos Eccleſiæ num.* 3. *& ſeqq. de Offic. Cuſtod. Zanch. de Privil. Eccleſ.* 40. *Gibullin. de Cenſur. Diſq.* 7. *qu.* 14. *conſect.* 16. *fo.* 371. *aliiq per eoſd. alleg.*

*Quietis* in *Hiſpania*, & in parvis locis ibi, *Tintinnabulum*, ſingulis noctibus per horam, & hyemalibus à nona ad decimam pulſandũ: poſt quam, & errante *Campanario* quemquam depræhenſum puniri, dixit *Narbona. Hora* 1. 91. & 99. & hora 9. 6. qua hora 9. *fol.* 183. comedendi conſuetum eo ſono indicari. Verum hoc ad libitum, ſeu juxta peculiares Familiarum, ac Regionum conſuetudines. Juxta quas etiam, à Prelatis Regulariũ quamplurimis ſurgendi à menſa, ac per minus *Tintinnabulũ* ſuper illa pẽdens, tempus ſignificatum. Et ad Cænaculi valvas Apoſtolici Viſitatores aduertunt.

Ad *Ignominiam* tandem Gentibus ſignificandam *Tintinnabula* ſonu recepta: in re tamen gravi, ut in *Excommunicationis* majoris cenſura; Sic



Digitized by Google

enim non levi culpa adſtricti, ut Pontificia docent Jura, ab Epiſcopis inter pulſationes quaſi mortuales, diebus feſtis publicè, veteri etiam ævo declarati, quaſi Dæmonibus ſimiles, ad fidelem humanumq; commercium pro indignis habiti. Ante quinque ſæcula ritum ab *Innoc. III.* obſervatum, Populos, ac Principes varios eo vinculo universìm nunciari mandante. Quod ex *Biblioth. Vaticanæ Regiſtris* accæptum tradit *P. Roccha* in *Paralip. ad Comment. de Camp. fol.* 158. Cui textum *Arnoldi Lubecenſis* adjungere haud piget 7. *Chron. Slavor.* 3. ubi: *Diſtrictè*, inquit, *præcipimus, ut cum apud vos ſit, ita luce clariùs manifeſta, dictum Archiepiſcopum pulſatis Campanis, & accenſis candelis ſingulis dominicis, & feſtivis diebus excommunicatum publicè nuncietis*. Ad famoſam notam econtrà *Tintinnabula* inhibita *Rog. Hovedeni pag.* 718. ea verba, quæ de ſummo, & ſacro viro, & prorsùs cõtumaci *Caſpar Barthius* in *Animadverſ. ad Gul. Briton. Philippidos* 12. 246. *fol.* 729. tranſcribit, ſcilicet: *Lundo-*

*do-*

Digitized by Google

*donienſis verò Epiſcopus eum pro excommunicato habens, propter tranſgreſſionem illam, ſuſpendit novum templum à Divini celebratione Officii, à ſonitu Campanarum, ubi prædictus Ebonicenſis Epiſcopus fuerat hoſpitatus.*

